JOH. BERNARDI DE-ROSSI

IN PARM. ACAD. PUBL. LING. ORIENT. PROFESS.
AC THEOL. FACULT. VICE-PRAESIDIS

DE TYPOGRAPHIA
HEBRAEO-FERRARIENSI
COMMENTARIUS HISTORICUS

QUO

FERRARIENSES JUDAEORUM

EDITIONES

HEBRAICAE, HISPANICAE, LUSITANAE

RECENSENTUR ET ILLUSTRANTUR.







PARMAE

EX REGIO TYPOGRAPHEO

M. DCC. LXXX.

CUM APPROBATIONE.


BIBLIOTHECA PONTIFICII INSTITUTI BIBLICI

DOCTISSIMO NOBILISSIMOQUE

PRAESULI

JOH. MARIAE RIMINALDI

STLITIBUS IN ROMANA ROTA

JUDICANDIS XIIVIRO

AC

FERRARIENSIS ACADEMIAE

PRAESIDI MERITISSIMO

J. BERN. DE-ROSSI

Non multis persequar, AMPLISSIME PRAESUL, cur tuo potissimum Nomini lucubrationem hanc meam inscribendam putem. Comper-

tum cuique est, quantum Tibi ferrariensis litteratura debeat, qua contentione in eam feraris, qua voluntate eam foveas, augeas, ad summum splendorem evehas! Compertum quo aestu florentissimae illi Academiae, a duobus summis Pontificibus CLEMENTE XIV, *ac* PIO VI *feliciter regnante tua opera tuisque studiis restitutae, laudi dignitatique consulas, quas ad ejus regimen ac decus sapientissimas leges condideris; quo illi animo praesis, quae in dies beneficentiae argumenta erga illam studiosissime conferas! Compertum, qua Tu ipse doctrinae laude, qua sapientia praeclarum hunc litterarum favorem, & egregia in patriam benefacta cohonestes, quo omnium plausu gravis-*

simam romanorum judiciorum dignitatem una virtute ac meritis partam longa aetate tuearis, quo demum consilio ac jure celeberrimos XV seculi jurisconsultos ac scriptores JOHANNEM MARIAM, JACOBINUM, IPPOLITUM RIMINALDOS, majores tuos illustres, eorumque nomina ac famam aemuleris! Qua ergo benignitate politiores patriae litteras fovere hucusque consuevisti, eadem hebraicas, hispanas, lusitanas in eodem solo natas fove, & opusculum hoc, quod exoticam ac secretiorem ferrariensem bibliographiam complectitur, ferrariensium, ac Tui ipsius votis susceptum humanissime excipe, Tuoque clarissimo Nomine & auctoritate confirma. Si quidpiam disqui-

sitiones hae ad patrium splendorem conferent, gratulaberis. Si nihil, non erit, opinor, cur moleste feras, infirmum hoc meae in optimum ferrariensis litteraturae mecoenatem, in doctissimum praesulem, mei amantissimum, voluntatis testimonium apud posteros superfuturum.



INDEX CAPITUM, TOTIUSQUE OPUSCULI CONSPECTUS.

PRAEFATIO.

Nulla ars est, quae in majorem sui admirationem homines abripuerit, quam typographica; nulla, quae majorem etiam in sui ortu celebritatem videatur adepta. Vix ea est inventa, vix prima tentamina edita, quod mira, portentosa, divina ab omnibus habita est, atque ut certatim eam regna, provinciae, civitates, principes privatique viri excipere conati sunt, excolere, ad majorem perfectionem evehere, ita certatim visi sunt docti in ejus originem, progressus, auctores solerter inquirere, atque investigare, quinam eam in orbem invexerint, ac dilatarint, quaenam urbes omnium primae susceperint, quinam in una-

quaque provincia ac civitate libri primum prodierint. Quod nostro hoc potissimum seculo diligentissime factum est, quo Orlandi, Mattairii, Meermanni, Mentelii, Malinkrotii, Wolfii, Marchandi, Freytagii, Schelhornii, Schvvarzii, Hirschii, aliorumque opera studia haec ad summum videntur splendorem evecta. Inter tot tamen auctores, qui secretiorem hanc bibliographiae partem illustrarunt, singularem prae ceteris laudem consecutus est Mattairius, cujus Annales typographici bibliographorum omnium manibus teruntur. Sed ut nihil simul inventum ac perfectum est, quod vastissimum, immensique laboris, atque infinitae indaginis opus, illudque novum ac fere inauditum aggredienti accidere solet, Mattairio accidit. Quacumque enim diligentia usus is sit, quae fuit maxima, quocumque incre-

dibili studio, multa doctissimi viri oculos effugerunt, quae supplenda sunt, multa etiam falsa irrepserunt, quae emendanda. Hinc utillimam rem, atque omnium commendatione dignam aggrediuntur, qui, quod immortalis ille vir generatim pertractavit, singillatim pertractandum suscipiunt, atque accuratiorem in typographicis peculiarium urbium vel provinciarum incunabulis illustrandis operam impendunt. De parisiensibus egregie id praestitit Chevillerius, de lipsiensibus Leichius, de svecis Johannes Alnander. Ex italis autem nostris typographiis Saxius mediolanensem illustravit, emin. Quirinius brixianam, Paitonus venetam, florentinam Bandinius, ferrariensem Baruffaldus junior, pedemontanam Josephus Vernazza, romanam Lairius, in quo tamen multa editis Epistolis nonnullis nuperrime emen-

davit, ac supplevit Audifredius. Quorum consilia optandum summopere est, ut alii sequantur, ac typographicae caeterarum italicarum urbium illustriorum origines hucusque obscurae evolvantur. Hoc porro eo majori contentione ac studio enitendum est, quo impensius ad prima haec, antiquissimaque typographicae artis monumenta quovis aere undique colligenda principes, privatique ipsi viri feruntur, et quo luculentiores nobis praesto sunt eorumdem collectiones. In quo nescio, an ullus diligentiam vicerit celeberrimi nostri Paciaudi, bibliographi summi, ac de litteris, de regia hac parmensi scientiarum Academia, de Bibliotheca ipsa a fundamentis erecta optime meriti, cujus opera splendidissima editionum XV seculi suppellex collecta in regia hac Bibliotheca conspicitur, doctissimis illarum

plerisque praefationibus praemissis, quibus typographicae illorum temporum res egregie illustrantur. Plures aliae sunt tum in Italia, tum extra Italiam pubblicae bibliothecae antiquarum editionum, quae primum post mss. codices locum occupant, ac mss. ipsis codicibus aequiparandae sunt, collectione insignes; nec diu est, quod praestantissimam eruditissimi Bandinii beneficio Florentiae vidi in Laurentiana. Inter privatas vero copia, raritate ac praestantia se se magnopere commendat harum editionum apparatus, quem Romae abbas De-Rossi, Amstelodami autem eruditus mediolanensis Petrus Antonius Crevenna collegerunt; quorum studia ac laudes magna nunc contentione Taurini aemulatur clarissimus comes Durandus De Villa, cujus bibliotheca non rarissimis modo celebriorum typographo-

rum monumentis est illustris, sed et vetustissimarum editionum delectu. Tot sane praesidiis multum Mattairii, aliorumque labores emendari, ac suppleri possunt, ac typographiae primordia mirum in modum illustrari. Non minori porro beneficio adhuc indiget res litteraria quoad typographias doctiorum orientis linguarum, quae nullos hucusque illustratores sunt nactae, nec minus de litteris mereretur, qui syrae, qui arabicae, qui aethiopicae, qui coptae, persicae, turcicae typographiae exordia, progressus, foetus accurate recenseret. Quod, si alii defuerint, ac vires et tempus suppetant, ego idem lubentissime praestiturus sum, ut tribus abhinc annis de hebraica praestiti, ad cujus Annales accurata Appendix, ac prolixa Supplementa ab anno 1500 ad 1520 propediem edentur. Interim placuit e via veluti di-

vertere, atque, ut ferrariensium votis, Baruffaldi inprimis, satisfacerem, hebraeo-ferrariensem typographiam illustrare, qua Annales ipsi hebraici XV seculi a me editi quoad binas priores editiones supplentur. Ut vero cum hebraicis hispani nonnulli, ac lusitani libri ipsissimis ferrariensium judaeorum typis exscripti sunt, ita et de iis dicendum censui, potissimum autem de Bibliis hispanicis anno 1553 Ferrariae editis, quibus tanta post tot bibliographorum, sacrorumque criticorum studia accessit celebritas. Itaque in septem capita totum opusculum dispescam, in quorum I agam De typographiae hebraeo-ferrariensis origine ac progressu, in II De annalibus typographicis hebraeo-ferrariensibus sec. XV, in III De iisdem annalibus sec. XVI ac XVII, in IV De Pentateucho hebraeo-ferrariensi anni 1555 biblio-

graphis omnibus incognito, ejusque selectis variis lectionibus, in V De libris hispanis ac lusitanis, qui ex ferrariensibus judaeorum typographiis prodierunt, in VI De celeberrimis Bibliis hispanicis anni 1553, in VII ac postremo De editionibus hebraeo-ferrariensibus falsis ac supposititiis. Hisce praemissis, hocque praestituto ordine rem ipsam aggrediamur.



DE TYPOGRAPHIA
HEBRAEO-FERRARIENSI
COMMENTARIUS HISTORICUS.

CAPUT I.

TYPOGRAPHIAE HEBRAEO-FERRARIENSIS ORIGO AC PROGRESSUS.

Miratus sum olim vehementer, quum hebraeo-typographicos XV seculi Annales ederem, inter italicas urbes hebraica typographia ea aetate celebres Ferrariam non numerari. Vix enim fieri potuisse arbitrabar, ut celebratissima urbs, quae judaeorum copia, judaicarum academiarum splendore, doctiorum rabbinorum fama cum ceteris omnibus contendebat, decurrente dumtaxat seculo XVI hebraicos typos exceperit. Nullus namque liber a bibliographis afferebatur; nullus mihi diligentissime in id inquirenti occurrerat certa illic epygraphe excusus, qui esset antiquior; ralbagianum vero Commentarium anni 1477, qui proculdubio Ferrariae tribuendus est, probabili argumento Pisauro potius tribuendum esse conjeceram, cui prohinde primos hebraicae typographiae honores detuli.

At felix eventus gravissimum errorem ademit. Etenim quum multa Romae, romanoque meo itineri investigandarum antiquissimarum editionum, ac mss codicum caussa suscepto debeam, tum hoc potissimum, quod primum doctissimorum virorum Audifredi ac Fabricy opera in casanatensi Bibliotheca inspexerim, deinde vero acquisierim binos priores ordines rabbènu Ascèr hucusque incognitos, alterum Mantuae ab Abrahamo Conatho anno 1476 sub finem mensis maii, alterum vero Ferrariae sub finem julii eadem forma, eodem chartae genere, iisdem vel saltem simillimis typis, absque anno, sed eodem, ut opinor, anno ab Abrahamo ben Chaiim impressum. Eodem autem anno Ferrariae posteriorem hunc ordinem impressum fuisse multa sunt quae suadent. Quis sane longiori aetate divellendos putet binos ejusdem operis, ejusdem editionis libros, qui sibi immediate succedebant? Ita enim ii in omnibus congruunt, ac conveniunt inter se, ut nonnisi ad unam eandemque editionem pertineant, Mantuae coeptam, Ferrariae continuatam; quod testantur etiam quotquot aetatem ferunt exemplaria, quae illos simul connexos, ac compactos exhibent. Secundum igitur ordinem non longe post primi complementum, ut ipsa editionis ratio postulabat, edidit ferrariensis ty-

pographus, ejusque editionem alteri praetulit Gersonidis Commentarii in Jobum mense majo anni 1477 absolutae, post quam non solum sero, sed & inconsulto Asceriani operis editionem Ferrariae continuandam is suscepisset, cum novam eamque commodiorem minoribus typis Plebisacii moliretur R. Mescullam, quae reapse prodiit ibidem anno proxime sequenti. Itaque in annum ipsum 1476, graecae typographiae primordiis celeberrimum, referendam duco typographiae hebraeo-ferrariensis originem, in qua excutienda mirum est, quantum hucusque illustriores ipsi bibliographi caecutierint, memoratos ordines ignorantes, ac supposititias praeterea editiones secuti. Rabbi Scabtai perdoctus judaeus, qui elapso seculo sub titulo Scifte jescenim rabbinicam Bibliothecam edidit, inventu nunc difficillimam, inter civitates, quae sub XVI seculi initium artem hebraeo-typographicam excoluerunt, Ferrariam constituit, contenditque anno judaeorum 267, christianorum 1507 librum Pedach devarai Ferrariae editum fuisse Eliae levitae notis illustratum. Verum observabimus nos deinceps editionem hanc supposititiam esse, nec solum a Scabtaeo pisaurensem urbem cum ferrariensi, sed & librum ipsum cum alio prorsus diverso in ea editione confundi. Serius Buxtorfius ty-

porum hebraeo-ferrarienſium primordia ſtatuit, ad annum videlicet 1525, quo Ferrariae, ut ipſe autumat, lucem adſpexit Peritzolii Ighereth orechot olam; quod idem laudatus Scabtaeus ampliſſime confirmat. At ſalluntur iterum utrique, noſque inferius de ſuppoſititiis editionibus acturi illorum hallucinationis cauſſam evolvemus, in eo ſitam, quod annum, quo liber ab auctore elaboratus eſt, pro anno editionis acceperint.

Sed quis erit, inquies, typographiae hebraeo-ferrarienſis progreſſus? Abrahamum ben Chaiim binos ſolos libros Ferrariae edidiſſe reperio, ſcilicet ordinem Jorè dehà, & Gerſonidis Commentarium in Jobum, qui illum excepit. Deinde quum Ferrariam is deſeruiſſet, ut Bononiam ſe conferret, ceſſavit prorſus illic hebraica typographia, nec rurſus excitata eſt ante dimidium seculi XVI, quo Samuelis Galli atque Abrahami Uſque opera quamplures libri hebraici Ferrariae editi fuerunt. Ea iterum perduravit, ſi Wolfio credimus, uſque ad annum 1591, quo illic impreſſum affert quoddam anonymi opus Meſareſc chataim. Sed de hac editione ipſe vehementer dubito, atque ut editio Or Adonai R. Obadiae Sphorni anni 1567, quam Lelongius, ac Wolfius memorant, ſuppoſititia eſt, ut inferius videbimus, etiam ſecundam

hanc typographiae hebraeo-ferrarienſis epocham ceteris illuſtriorem perbrevem fuiſſe arbitror, nec forte exceſſiſſe annum 1558. Vix ea revixit ſub finem elapſi ſeculi, quo judaicarum precum Ordo pulcherrimis typis editus eſt, quod rurſus evanuit. Tres igitur diverſas epochas typographia hebraeo-ferrarienſis complectitur, in quarum prima bini libri impreſſi ſunt, in ſecunda viginti & octo, in poſtrema unicus. Ita non plures, quam 31 libri hebraici, quos quidem noverim, Ferrariae prodierunt. In hiſce tribus epochis quatuor diverſi floruerunt ferrarienſes typographi, Abraham Chaiim, Abraham Uſque, Samuel Gallus, & Filonius, ſeu potius Joſeph Niſſim, & Abraham Chaiim ſanenſis, incolae mantuani, qui in Filonii domo hanc artem exercuerunt. Abraham ben Chaiim celebris XV seculi typographus, piſaurenſis fuit, ac profeſſione tinctor, ſeque piſaurenſem, ex habitatoribus ac fullonibus Piſauri diſerte in ſuis editionibus appellat. Is patriam deſerens varias Italiae urbes peragravit, ſuam ubique artem exercens. Poſt editos binos Ferrariae libros Bononiam a Joſepho Carwetha acceſſitus eſt, ut illic Carwethae ipſius impenſis Pentateuchum cum chaldaica paraphraſi & commentario raſciano ederet, qui revera prodiit anno 1482. In ſplendidiſſimae rariſſimaeque

hujus editionis epygraphe multae Abrahamo ben Chaiim laudes tribuuntur, qui appellatur איש נקי במלאכה אומן אין כמוהו בכל הארצות במלאכת הדפוס בכתב אשורי ובלשון עבר שמו נודע בשערים מישרה אברם יצ"ו בכמר' חיים זל"הה מן הצבועים מארץ פיסרו. *Vir in arte sua versatissimus, artifex cui similis non est in toto terrarum orbe in typographia hebraica, vir, cujus nomen ubique celeberrimum est, magister Abram, quem Deus servet, filius R. Chaiim felicis mem. ex tinctoribus pisaurensibus*. Anno 1488 e Bononia accitus celebratissimum hebraicorum Bibliorum corpus luculentis typis Soncini edidit, in cujus epygraphe Pentateucho subjecta iterum se ex fullonibus regionis pisaurensis appellat, sed habitantem Bononiae. Ex quo intelligitur post annum 1482, sub cujus finem etiam quinque sacra Volumina cum commentariis vulgavit (*), suum Bononiae domicilium fixisse. Plura non edidit, nullumque post illud tempus librum invenio, qui ex eo prodierit. Samuel Gallus, plenius filius Aschara Zarfadi, seu Gallus dictus, quod ex parentibus natione & origine gallis esset prognatus, ex judaeis ferrariensibus erat,

---

(*) *De rarissima hac, bibliographis omnibus, mihique ipsi antea incognita editione plura dicemus in Appendice ad annales hebraeo-typ. sec. XV.*

& Ferrariae hebraicam typographiam primus post Abrahamum ben Chaiim exstruxit, pluresque libros edidit ibidem seculo decurrente XVI. Is confundendus non est cum auctore ejusdem nominis, qui recentioris aetatis est. Celebrius est nomen Abrahami Usque, quem alii Oski, seu Uski, sed male appellant. Is oriundus erat ex judaeis lusitanis, qui post expulsionem Ferrariam se receperant, & ex clara eorum familia, in qua tres diversi insignes viri uno eodemque tempore Ferrariae floruerunt, Abrahamus noster, Samuel, & Salomon. Samuel in suorum solamen edidit vernaculo idiomate librum de israëlis Consolatione ab Abrahamo Ferrariae editum, de quo infra dicemus. Salomon edidit hispanicam Versionem *delos Sonetos, Canciones ec. del Petrarcha*, & biblicam Estheris Tragoediam, quam Wolfius ac Quadrius memorant, ac praeterea italicam Odam in laudem cardinalis Borromaei, inter divos ab Ecclesia relati, in collectione Christophori Zabatae excusam, atque a Wolfio, immo a Crescimbenio ipso ac Quadrio, ut eruditus Irenaeus noster Affò, qui mecum benevole illam communicavit, animadvertit, silentio praetermissam. Abrahamus praestantissimam typographiam Ferrariae erexit, non hebraicis tantummodo, sed & latino-gothicis typis munitam, ex qua quam-

plures libri hebraici, hiſpanici, luſitanici prodierunt, quos ſeorſim deſcribemus. Inter eos inſigniorem locum occupant Biblia hiſpanica anno 1553 ab eo edita, ac maximi hucusque tum a judaeis, tum a chriſtianis habita, quae editoris nomen ad maximam celebritatis famam evexerunt. Typographus is fuit, non auctor, ac perperam ipſi, ut videbimus, horum Bibliorum verſionem Lelongius, Simonius, Bartoloccius, Advocatus, aliique tribuunt, etſi doctrina ac judicio non eſſet deſtitutus, ac veroſimile ſit etiam partem aliquam in corrigenda ſaltem, vel digerenda verſione illa habuiſſe. Perperam etiam Wolfius ei tribuit luſitanicum judaicarum precum Compendium ab eo editum; perperam Aboabus aliique librum de iſraëlis Conſolatione, qui non noſtri, ut diximus, ſed Samuelis eſt. Singulari hic typographus ſtemmate utebatur, quod modo ſub editionum initium, modo ſub finem, ſaepe utrobique reperitur impreſſum. Illud porro in ſphaera quadam armillari ſitum eſt, quae hunc verſiculum e Pſalmo cxxx 5 deſumptum exhibet circumvolutum, קויתי יי קותה נפשי ולדברו הוחלתי. *Expectavi; Dominum expectavit anima mea, & in verbo ejus ſperavi.* Infra vero binae litterae A. V. impreſſae conſpiciuntur, quae clariſſimi ipſius typographi nomen ac cognomen innuunt.

Notat Wolfius Abrahamum noſtrum vixiſſe adhuc anno 1557, ut patet, inquit is, ex Alaskarii opere eo anno impreſſo, cui opuſculum aliud addi poterat rabbènu Niſſim eo anno editum. At ultra illud tempus eum dies ſuos protraxiſſe conſtat ex libro Maharechet aelahuth, quem vidi ab eo impreſſum anno 1558. Sed ejus editiones annum hunc non praetergrediuntur. Poſtremi duo typographi Joſeph Niſſim, & Abraham Chaiim ſanenſis, mantuani incolae erant, & ex Mantua ipſa Ferrariam a ferrarienſibus judaeis ſub elapſi seculi finem accerſiti ſunt, ut libros excuderent, & reapſe judaicarum benedictionum Ordinem juxta ritum italicum in Filoniana typographia pulcherrimis typis anno 1693 excuderunt. Sed unicus hic liber ab illis excuſus eſt. Filonius enim ferrarienſis typographus chriſtianus hebraicos typos qui ad ſe pertinebant, rurſus fudit, ut latini procuderentur. Haec de typographis, ac typographiis hebraeo-ferrarienſibus, earumque origine ac progreſſu. Nunc de editionibus ipſis agamus.



CAPUT II.

TYPOGRAPHICI ANNALES HEBRAEO-FERRARIENSES SEC. XV.

MCCCCLXXVI.

Rabbènu Ascèr II Ordo Arbàh turìm, qui inscribitur Jorè dehà, in-fol. Ferrariae per Abrahamum ben Chaiim.

Primus ordo Orach chaijm hujus perrarae editionis, cujus bina reperiuntur Romae in casanatensi Bibliotheca exemplaria, ac luculentissimum aliud apud me, excusus est, ut supra diximus, Mantuae hoc eodem anno ab Abrahamo Conatho, ut eruitur ex fusa typographi ipsius epigraphe illi subjecta. *Benedictus Deus vivens super excelso, & tremendus, quoniam dedit servo suo auxilium, ut absolveret librum hunc feria V, die XIV mensis Sivan anni 5236 a creatione mundi juxta supputationem qua annos nos supputamus hic Mantuae* (*). Ordinem hunc immediate, unico interposito folio albo, excipit secundus, sub cujus finem haec legitur poëtica epygraphe.

(*) ב״ד. לחדש סיון שנ׳ חמשת אלפים ורל״ו ליצירה למנין שאנו מונין פה מנטואה·

Tantum! Absolutumque est opus ministerii sancti Jorè dehà, libri scilicet, qui docet scientiam, & audire facit famam,

Mense Av, die XV mensis;

Feria autem VI finitum est opus hoc celebratissimum.

Elatio & laus ei, qui formidabilis est inter seraphinos sanctitatis,

Tremendus opere, & perfectus scientia.

Ipse sustentet (nos) *manu sua dextera*

Ut exaremus reliquos libros sanctos.

Ex justificantibus multos censeat nos

Magnificus, qui equitat coelos.

Haec vero soluta oratione sequuntur:

Absolutum autem est omne opus ordinis hujus Jorè dehà, qui typis exscriptus est per manus minimi ex typographis Abrahae compingentis (videat is semen, protrahatque dies suos) filii R. Chaiim felicis memoriae ex habitatoribus urbis Pisauri. Hic porro Ferrariae exaratus & obsignatus est vespere (*). *Consolamini: Dominus solabitur nos consolationibus Sion, & Jerusalem, & super aedificatione Arielis, & veniet ad Sion Redemptor, & exultabit Jacob, & laetabitur Israël. Sic fiat, ac placeat Deo. Omni initio vidi finem. Ad gloriam tuam, Domine!*

(*) ובפה פירארה נכתב ונחתם ערב.

Incertum eſt, num reliqui duo ordines lucem viderint, quumque meum exemplar atque utrumque caſanatenſe ſolos priores ordines complectantur, veroſimilius putaverim non vidiſſe; etſi Chaiimus animum habuerit, quum ſecundum abſolvit, ceteros edendi. Reliquorum enim librorum nomine, ad quos exarandos divinum in epygraphe auxilium petit, bini, qui ſupererant, ordines intelligendi ſunt. Forte, procraſtinata poſteriorum ordinum editione, audiens parari Plebiſacii novam ac commodiorem editionem, illorum edendorum conſilium depoſuit. Niſi dicamus ſolos eum priores ordines apud ſuos uſitatiores edere conſtituiſſe, ut de Orach chaiim anno 1485 in Luſitania ſeorſim edito factum eſt (*a*). Quidquid vero de editionis perfectione, vel imperfectione dicendum ſit, illud certum eſt eam eſſe primariam, atque hucuſque hebraicarum omnium editionum primam, quae anni deſignationem, ſeu aeram habeat adnexam. Duabus columnis ea conſtat, ac foliis 220, quorum priori ordini Orach chaiim 129, reliqua 91 noſtro Jorè dehà tribuenda ſunt. Typi ſemirabbinici ſunt, ejuſdem prorſus formae cum iis, quibus ab eodem Conatho Gerſonidis Commentarius in Legem,

(a) *V.* De hebr. typogr. origine ac primitiis *pag.* 23.

Gorionides, & Noseth tzufim absque anno, ab Abrahamo vero Chaiim ralbagianus Commentarius in Jobum anni 1477 excusi fuerunt, ejusdem etiam inflexionis in utroque ordine, nisi quod ex nonnullis litteris, potissimum ex littera lamed, & nexu aleph & lamed non absolute iidem typi in II ordine excudendo videantur adhibiti. Litterae initiales capitum ac sectionum exhibentur charactere quadrato, sed germanico ac rudi. Sub initium unius ex duobus exemplaribus casanatensibus ms. quaedam latina nota conspicitur jam ab anno 1745 conscripta, quae perperam prioris ordinis editionem ad annum 5238 refert, biennio posteriorem eam faciens, ac manifeste cum plebisaciensi confundens, quae revera eodem anno prodiit. De editione hac summae raritatis, antea mihi incognita, agemus iterum in Appendice ac Supplementis annalium hebraeo-typographicorum XV seculi, eaque apposite utemur ad definiendum locum, & tempus editionum, quas Conathus absque ulla anni vel loci designatione vulgare consuevit. Illud unum hic observo principem hanc nostram editionem saepe a recentioribus diferre, atque insignem variarum lectionum sylvam suppeditare, quarum exempla ac specimen in commemorata Appendice afferemus.

MCCCCLXXVII.

R. Levi Gersonidis Commentarius in Jobum in-4. minori absque loco per eundem Abrah. ben Chaiim anno minoris judaeorum supputationis 237.

Fusius nos de hac editione egimus in Disquisitione nostra de hebraicae typographiae origine, in qua, quum librum antiquioris aerae ignoraremus, primos hebraicae typographiae honores illi adversus Bartoloccium, Mattairium, Wolfium, Maffejum, Saxium, aliosque vindicavimus. Probabili etiam conjecturae innixus Pisauri eam factam fuisse ibidem constitui, cui prohinde primam hebraicorum typorum originem tribuendam esse opinatus sum, quam perperam Soncino Bartoloccius, Mattairius, ac Saxius, Plebisacio Wolfius, Bononiae Maphaejus tribuerant. Etsi, inquiebam, diserte locus non innuatur, verosimile tamen est, pisaurensem typographum Pisauri librum excudisse, qui si locum & patriam interdum mutavit, ac quinquennio post Bononiae Pentateuchum, anno vero 1488 Soncini integrum Bibliorum corpus edidit, non id perfecit, quod Bononiae aut Soncini degeret, sed quod e pisaurensi urbe Bononiam fuerit accersitus. Unde autem accersitus, nisi ex Pisauro, ubi publici ille fullonis munere fungebatur? Sed aliter nunc post detectam (quod primum

cl. Fabricy opera factum est) superiorem Asceriani operis editionem statuendum est. Etenim quum ex ea Chaiimum non Pisauri, sed Ferrariae paullo ante Ralbagiani Commentarii editionem typographicam artem fixisse, & exercuisse edoceamur, perperam, opinor, diceretur ille alibi excusus; praesertim cum typi congruant, qui iidem omnino sunt cum ferrariensibus Jorè dehà, dissimillimi vero ab illis, quos typographus ipse Ferrariam deserens Bononiae vel Soncini adhibuit. Itaque vix dubitaverim, quin Ferrariae quoque nostrum hoc opus Abrahamus ediderit. Ad editionis descriptionem quod attinet, jam monui in commemorato opusculo, illam rabbinicis, iisque rudibus typis exaratam esse, ac 124 foliis, hacque luculenta epygraphe absolvi. *Finitum est autem opus sanctum per manum Abrahami (videat ipse semen, producatque dies suos, amen) filii R. Chaiim pisaurensis scribae velocis typographici; perfectioque ejus contigit in feriam VI, quae est dies IV mensis Sivan anni 237 sexti millenarii (*). Benedictus qui dat defesso virtutem, & ei, qui vires non habet, robur addit. Unicuique initio vidi finem. Ad gloriam suam, Domine!* Huic epygraphi decem versus

---

(*) והשלמתו הוית יום ו׳ ד׳ לחדש סיון רלז׳ לאלף הששי.

ſubduntur, quibus grates divino Numini de operis abſolutione refert typographus.

Confiteamur potenti Domino, Rupi ſalutum,
Forti, Magnifico, ac Terribili ad ſalvationes,
Fævor ejus dedit Abrahamo ſervo ſuo auxilium,
Removens offendiculum ad abſolvendum, jamque oculus meus totum opus perluſtrans
Plaudit in eo volvendo. Egreſſum eſt e via caliginis
Ad lucem. Stannum noſtrum plenum eſt prae mari valida ſubſtantia, ac philoſophia.
Deus porro, qui dignum fecit me, ut illud perficerem,
Circumquaque ad meditendum in eo me cogat, inclinetque
Ad perſcrutationem libri, ac commentarii,
Cujus perfectio contigit anno supputationis quadrageſimo nono.

Poſtremum hunc annum de prima operis perfectione per auctorem ipſum accipiendum eſſe manifeſte liquet, illudque animadverti commemorato Diſquiſitionis loco, ubi varias etiam bibliographorum hallucinationes detexi. Perperam videlicet Wolfius teſtatur ſe vidiſſe in Oppenheimeri bibliotheca editionem hanc abſque ulla anni, vel loci nota, quum diſertiſſime in omnibus exemplaribus annus legatur. Perperam contra Bartoloccius, ac Lelongius mem cum

beth in epygraphe confundentes, Pisauri eam prodiisse conscribunt, ac si extaret בפיזארו. Male etiam Bartoloccius ad diem VI mensis Sivan editionis complementum retulit, de die mensis accipiens, quod de feria hebdomadae sumendum erat. Parum demum accuratum se prodidit Wolfius, qui mem pro samech, & zain pro vav praepostere acceptis, loco מפיזארו, legit ספיואר quod vocabulum quid sibi velit, se deinde non assequi testatur, nec quam recte ex eo Pisaurum Bartoloccius fecerit. Haec de hac editione, cujus quatuor integra ac pulcherrima apud me servantur exempla. Quintum ex mei ipsius concessione extat Amstelodami in selectissima Bibliotheca crevenniana. Editio haec primaria, & antiquissima interdum discrepat ab editionibus recentioribus, cum quibus eam contuli, ac mss. codices pressius sequitur, & accuratius refert, ut constat vel ex ipso libri exordio, in quo editio veneta bombergiana in Bibliis magnis rabbinicis legit אל משה, nostra vero למשה, ut plane legunt quinque mss. mei codices optimae notae, bombergiana mendose בעיניו pluraliter, nostra בעינו in singulari recte, ut legunt quinque iidem codices mss., bombergiana כמו שחייבו זה פנות התורה, nostra omittit, ut omittunt omnes commemorati codices.

CAPUT III.

TYPOGRAPHICI ANNALES HAEBRAEO-FERRARIENSES SEC. XVI ac XVII.

MDLI.

R. Isaaci Abarbanelis מעייני הישועה *Majenè ajescuhà*, seu *Fontes salutis*, in-4 *per Samuelem Gallum anno judaeorum minori* 311,

Primus qui post Abrahamum ben Chaiim hebraicam typographiam Ferrariae excitaverit, fuit, ut supra observatum est, Samuel Gallus judaeus ferrariensis. Id perfecit circa XVI seculi dimidium, ac primus foetus, qui ex ea prodierit, est hoc Abarbanelis opus, quod ejus Commentarium in Danielem sistit. Jam vero ut prodiit editio absque ullo loci indicio, ita multa in ea describenda peccarunt hucusque bibliographi. Alii enim, ut Buxtorfius, ac Scabtaeus, Constantinopoli factam fuisse arbitrati sunt; alii, ut Bartoloccius (*a*), ab hebraeis soncinatibus. Wolfius ad Neapolim retulit (*b*), ab auctoris epygraphe deceptus sub finem relata, in qua non typographus, sed Abarbanel

(a) Biblioth. rabb. *T. III p.* 878.
(b) Bibl. heb. *T. I p.* 693.

ipse loquitur: *Fuit*, inquit is, *ejus initium & finis in urbe Monopoli in finibus Apuliae, quae ad neapolitanum regnum pertinet, quaeque propugnaculum, ac refugium meum fuit a gravissimis angustiis, ac malis universalis exilii. Fuit autem hoc die 1 mensis Tevet anno 257*, Christi 1497. Quae auctoris verba esse non animadvertens Wolfius, non solum urbem, sed compositionis etiam annum cum urbe & anno impressionis confudit, ad annum 1497 editionem hanc nostram referens, quam in Oppenheimeri Bibliotheca viderat, sed titulo, ut videtur, destitutam. In eundem errorem lapsi sunt, ut alibi animadvertimus (*a*), auctores Catalogi librorum impressorum regiae bibliothecae parisiensis, qui hanc eandem ferrariensem editionem Monopoli adscribunt; atque ut nulla hucusque dignoscitur editio hujus operis in-folio, aut anno 1531 perfecta, ita non dubito, quin in describendo etiam anno, ac libri forma ab iisdem peccatum sit, aut typographicum aliquod cubet mendum. Monopolis porro ita in commemorata epygraphe describitur, ut nonnisi pro ejus nominis urbe in Apuliae provincia, ac neapolitano regno existente accipi queat. Rursus ergo corrigendus idem Catalo-

(a) De heb. typogr. orig. p. 82 seq.

gus bibliothecae regiae, in quo obſervatur ſub ementito vocabulo Monopoleos, quod graece unam civitatem denotat, Venetias abſcondi. At vero ſi mendoſe ac fruſtra Conſtantinopoli, Soncini, Neapoli, Monopoli, Venetiis editionis noſtrae locum exquiſierunt auctores hucuſque commemorati, rectiſſime eum Ferrariam fuiſſe jampridem conjecit Plantavitius. Etenim ornatus, ac typi perfectiſſime congruunt cum ornatu ac typis Samuelis Galli; ita vero manifeſte in praefatione proditur Samuelis typographi nomen, ut aliter ſtatui non poſſit. Id etiam eruitur tum ex communi judaeorum opinione, tum ex titulo antiqua judaei manu meo exemplari praefixo, in quo diſerte legitur נדפס בפיראר״א *Impreſſus Ferrariae*. Editio charactere rabbinico exarata eſt, conſtatque foliis 142. In libri fronte deſignatur menſis & annus editionis, diciturque *impreſſus die XV menſis Scebat anno 311* (*a*), Chriſti 1551, non 1550, ut mendoſe habent Plantavitius ac Buxtorfius, qui praeterea in eo errat, quod conſcriptum tantum eo anno, non autem impreſſum aſſerat (*b*). Ab editore praemittitur accurata Abarbanelis biographia, in qua ejus itine-

---

(a) נדפס ט״ו לחדש שבט שנת א״יש לא נעדר·

(b) Biblioth. rabb. *pag. 305 1 editionis*.

ra, ſtudia, viciſſitudines, opera, annus ac locus, quo ea compoſuit, expulſio denique, ac mors deſcribuntur; opus, quo maxime uſus eſt Majus, ut noſtri auctoris vitam deſcriberet, quam latinae ſuae verſioni Maſcmiah jeſcuhà ſeu Praeconis ſalutis adtexuit. Ferrarienſis editio primaria eſt hujus operis, quod ipſi etiam amſtelodamenſes editores fatentur, qui quum in nova eorum editione 1647 ferrarienſis editoris praefationem praemiſerint, hunc ei titulum praepoſuerunt: *Verba primi, celebratiſſimi, ac colendi hujus libri editoris*. In nonnullis vero exemplaribus, quae latinum titulum exhibent, clarius librum hunc ante annos 96 primum editum fuiſſe expreſſerunt. Tanta eſt raritas ferrarienſis editionis, ut aperte eam doctiores bibliographi chriſtiani teſtentur. Nemo ignorat, quaenam ſit Abarbanelis ſcriptorum ratio, & ut ob acerrimum illius adverſus chriſtianos aeſtum & odium juſto Eccleſiae decreto proſcripta ſunt. Loquor potiſſimum de ejus Commentariis in prophetas poſteriores, de hoc noſtro in Danielem, & de Maſcmiah jeſcuhà, qui omnes pro antichriſtianis habendi ſunt, cum directe chriſtianae religionis veritati opponantur, eamque oppugnent. Hinc libri hi, maxime in Italia, rariſſimi ſunt, praeſertim ex principibus atque antiquioribus editionibus,

quae ſunt integerrimae. Sed doctus quidam auctor germanus, qui ſuae bibliothecae hiſtoriam nobis reliquit, notat noſtrum hunc Abarbanelis librum eſſe ceteris rariorem, nec dubitat ipſi editioni amſtelodamenſi, quae ferrarienſi multo recentior ac communior eſt, raritatis notam aſſignare. Inter bibliographos qui inſigni ferrarienſis editionis raritati teſtimonium reddiderunt, numerandi ſunt Buxtorfius in Bibliotheca rabbinica, Freitagius in Analectis litterariis de libris rarioribus, David Clement in Bibliotheca curioſa librorum rariorum, Mullerus denique tum in epiſtola ad Buxtorfium, tum in praefatione ad Endectes judenthum, ubi teſtatur ſe fruſtra, ac diu in variis Germaniae, ac Flandriae partibus librum hunc exquiſiviſſe.

MDLII.

1.° *R. Jedajae Appeninì Bechinath olam cum commentariis R. Moſis aben Chaviv, & R. Joſephi Franſes*, in-4 *Ferrariae per Samuelem Gallum anno minori judaeorum* 312.

Multum ab orationis elegantia tum a chriſtianis, tum a judaeis commendantur R. Jedajae Appeninì ſcripta. Inter ea tamen eminet opus hoc, quod auctor Examen mundi appellavit, propterea quod de mundi vanitate, ac contemptu potiſſimum agat; liber Buxtorfii ſententia inſignis tam quoad res, quam quoad verba,

ac dignus plane, quem Philippus Aquinas gallice, Uchtmannus vero latine interpretarentur. Primaria hujus libri editio est soncinensis anni 1485, quam excipit veneta anni 1546, ac nostra haec anni 1552, haeque editiones omnes apud me extant una cum batava Uchtmanni anni 1650. Soncinensis & ferrariensis extant etiam in Bibliotheca collegii propagandae fidei, in qua beneficio doctissimi atque humanissimi praesulis Stephani Borgiae selectissimum vidi hebraicarum, atque exoticarum omnium editionum, ac mss. etiam codicum apparatum. Nostram hanc editionem suo loco memorant Bartoloccius, Scabtaeus, ac Wolfius, sed perperam eam Scabtaeus venetam appellavit; perperam Wolfius ex titulo non recte intellecto collegit, *non tam ipsam hanc editionem Ferrariae excusam dici, quam potius aliam ferrariensem memorari, quae Commentarium R. Josephi Franses adjunctum habeat. Inde factum est, ut cum locus impressionis prorsus hic non memoraretur, Scabtaeus Venetiis editum diceret.* Unica enim, non binae extant ferrarienses editiones, atque ipsissima haec nostra est, quae commentarium illum habet adnexum, & in qua locus editionis apertissime designatur, ut ex titulo ipso, quem hic subjicimus, luculentissime eruitur. *Liber Bechinad olam cum commentario R.*

Mosis ben Chaviv, *& cum commentario sapientis perfecti R. Josephi Franses*, *scilicet cum commentario ad dexteram* (addito) *R. Jos. Franses*. *Impressus hic Ferrariae opera Samuelis ben Askarà Galli*. Moses ben Chaviv plenius se in praefatione appellat Mosem filium R. Scem Tov ex cognatione ben Chaviv hispani, & ex habitatoribus synagogae sanctae ulyssiponensis in regno Lusitaniae, peregrinantem in civitate hydruntina, quae Apuliae terminus est in neapolitano dominio. Quod ad editionis conditionem attinet, quam ignoravit & omisit Plantavitius, typis ea expressa est quadratis cum punctis quoad textum, rabbinicis vero, quoad commentarios, & complectitur folia 122. Sed post Bechinath olam sequitur celeberrima ac fusa auctoris בקשה, seu Oratio, cujus singulae voces a littera mem incipiunt, cum ejusdem Fransesii commentario, 13 aliis foliis constans, eamque sequens excipit epygraphe: *Finitum & absolutum est opus die XV mensis Casleu anno* ישב, *Qui habitat sub umbra altissimi*, seu 312 *minoris judaeorum supputationis*. Bina priora nostrae editionis capita cum tribus aliis meis editionibus, soncinensi, veneta, & uchtmanniana, cum tribus item mss. meis codicibus contuli, & in nonnullis eam discrepare deprehendi, quae etsi minoris momenti sint, tanta tamen

sunt, ut evincant ad nullam ex praecedentibus editionibus eam curatam fuisse, sed potius ex singulari codice, qui cum Chavivii, vel Fransesii commentario happeninianum textum complectebatur. Ita cap. 1 commemorati tres mei codices, & editiones legunt omnes ואין עצה ואין תבונה. Ferrariensis editio verba haec praevertit, legitque ואין תבונה ואין עצה, quumque Fransesius codicum, ac ceterarum editionum lectionem hic sequatur, contra in Commentario suo eam antevertat Chavivus, idcirco non male conjicitur ferrariensem editionem ad ipsum Chavivi exemplar factam fuisse. Quod idem porro factum etiam video capitulo decimo, seu primo partis prioris, ubi in editione ferrariensi legitur ונשם ורוח, contra in soncinensi, in veneta, in uchtmanniana, in binis meis codicibus habetur ורוח ונשם. Codex unus, sed recentioris aetatis cum ferrariensi congruit, qui duplicem etiam commentarium, utrumque ineditum, exhibet Mosis Aletrini, ac Mardochaei filii Danielis medici. In meo exemplari veneto prior lectio judaei cujusdam manu ad ferrariensem accommodata est, quam ipse videtur praetulisse; sed haec ad varias codicum lectiones referenda sunt, ut recte monet ms. nota ad marginem unius ex duobus meis exemplis soncinensibus apposita. Eloquentissimi no-

ſtri hujus rhetoris poſſideo etiam Commentarium in Agadoth ineditum, ac bibliographis omnibus incognitum, quem ſuo loco, in Indice videlicet mſs. meorum codicum orientalium illuſtrabimus.

2.° *R. Jehudae ben Salomonis Alcophni* רפואות גויה *Refuoth gheviiah*, ſeu *Remedia corporis*, in-8 *Ferrariae per Samuelem Gallum anno 312 judaeorum*.

Varia in hoc libello medicamenta ad corporis tutelam proponuntur. Primariam atque antiquiorem editionem arbitror eſſe venetam anni 1519, quam haec noſtra ferrarienſis excepit a Samuele Gallo curata, quae charactere conſtat quadrato, & paginis 19. De ea Wolfius Bibliotheca heb. T. I p. 456, & III p. 341, ubi integer etiam libri titulus affertur, qui ſic ſe habet: *Medicinae corporis R. Jehudae Acharizj, aliaque medicamenta egregia, tum ex Ezra, tum ex aliis collecta*.

3.° *R. Hai Gaon* פתרון חלומות *Pidron chalomoth*, ſeu *De somniorum interpretatione*, in-8 *Ferrariae per Samuelem Gallum anno jud. min. 312*.

Extabat Pragae apud Oppenheimerum, ut teſtatur Wolfius Bibl. heb. T. III p. 227, ac complectitur paginas, ſeu potius folia 15. Primaria hujus libri editio eſt conſtantinopolita-

na, quam poſſidemus, anni non 1516, ut ſcribit Wolfius, qui litteram he in minoris numeri supputationem aſſumpſit, ſed anni 1511.

4.° *R. Meir* הלכות שחיטה *Ilcoth scechitah*, ſeu *Conſtitutiones mactationis*, in-12 *Ferrariae per Samuel. Gallum abſque anno, ſed circa an. 1552.*

De auctore, libello, editione profunde ſilet Wolfius, ac ceteri bibliographi. Plenius in titulo dicuntur *Conſtitutiones de mactatione*, ſeu *Fundamenta deciſionum judicialium mactationis . . . quas compoſuit ſapiens R. Meir ex familia Meir* (*qui videat ſemen, producatque dies ſuos, amen*). *Impreſſae hic Ferrariae in domo Samuelis filii Askarae Galli*. Octo foliis tantum conſtat perrarum hoc opuſculum, quod cum ſequenti poſſideo, ac charactere quadrato abſque punctis, ſub cujus finem habentur nonnulla carmina in laudem libri, & auctoris.

5.° *Ejuſdem R. Meir* הלכות הריאה *Ilchot arëah*, ſeu *Conſtitutiones pulmonis*, in-12 *Ferrariae per Sam. Gallum abſque anno, ſed circa an. 1552.*

Ejuſdem auctoris libellus, bibliographis omnibus & ipſe incognitus, qui cum praecedenti, ſed ſeparato titulo, prodiit eadem forma, charactere, anno. Plenior titulus eſt *Conſtitutiones de pulmone*, ſeu *Fundamenta deciſionum judicialium, quae pulmonem reſpiciunt, . . . quas compoſuit R. Meir ex familia Meir* (*videat ſemen,*

producatque dies), *impressae hic in civitate magna ac celebratissima Ferrariae in domo Samuelis ben Askarae cognomine Galli*. Opusculum octo & ipsum folia complectitur, ac sub finem exhibet הלכות בדיקה הריאה, seu *Constitutiones investigationis*, vel *probationis pulmonis*, vel de investigando probandoque pulmone, brevi carmine congestas juxta thessalonicensium synagogarum ritum, quas eadem carmina excipiunt in libri & auctoris commendationem.

MDLIII.

R. Simeonis filii Tzemach Duran Comm. in הושעות לסכות *Oschahòth lesucòth*, *cum textu & accessionibus*, in-8 *Ferrariae per Abrah. Usque anno jud. min.* 313.

De hac editione Wolfius T. III p. 1154 Bibliothecae hebraeae. Ea constat tribus plagulis & foliis duobus, & praeter nostri commentarium complectitur etiam accessiones R. Isaaci Alchachim. Primus est liber ab Abrah. Usque hebraice editus, qui ordine occurat. Libri hispanici & lusitanici ab eo hoc anno editi sequenti capite afferentur.

MDLIV.

1.° *R. Josephi ben Jabetz* מאמר האחדות *Maamar aachaduth*, seu *Sermo de unitate*, in-4 *Ferrariae per Abr. Usque ann. jud. min.* 314.

Typi hujus editionis, quae apud me extat, rabbinici sunt. Ligneus idem in titulo ornatus

exhibetur, quem Samuel Gallus editioni suae Bechinath olam praemisit, quemque Usque in plerisque editionum suarum sequentium in-4 repetiit, potissimum vero sub initium Jesod emunah, & Or achaiim. Usquianum etiam stemma hic tum sub initium, tum sub finem editionis conspicitur. Titulus ita effertur: *Sermo de unitate Dei, uno ex fundamentis, seu articulis religionis, sapientis, pii R. Josephi Jabetz, cujus memoria sit in benedictione; impressus Ferrariae in domo excellentis Abrahami ben Usque, quem Deus tueatur, anno min. supput. 314.* Constat editio foliis 16, sub quorum finem iterum legitur: *Et absolutum est opus, opus divinum feria quarta, die V mensis Marchesvan anno 314 a creatione, hic Ferrariae, quae est sub dominio domini ducis Herculis in domo Abrahami ben Usque, quem Deus servet.* Praemittitur praefatio Isaaci Alchachim editoris, in qua praemissis nonnullis de articulis legis, ad quos pertinet opus nostrum de unitate supremi Numinis, haec subdit. *Splendere fecit Dominus oculos intelligentiae in sapiente, ac pio R. Josepho Jabetz felicis recordationis, qui manifestavit sententiam antiquorum, & revelavit abscondita, & composuit opus pulcherrimum super hoc argumento, quod appellavit* Sermo de unitate, *atque alterum, quod dixit* Fundamentum fidei,

accinxitque se super tertio, quod inscripsit Lux vitae, *de quibus omnibus dici potest illud*, & funiculus triplex non facile dissolvitur. *Dedi autem cor meum, auxilio fretus ejus, qui dat robur, & virtutem populo suo, ut eos imprimerem, & incepi editionem primi. Auxiliator, qui accingit Israël fortitudine, educat consilium meum ad lucem, ut imprimam etiam Commentarium tractatus avoth*, seu *patrum, qui ejusdem auctoris est*. Quod idem consilium de edendo postremo hoc libro repetit, ac confirmat Alchachimus in Praefatione Or achaiim, sed non puto lucem vidisse. De reliquis duobus statim dicemus.

2.° *Ejusdem R. Josephi ben Jahbetz* יסוד האמונה *Jesod aemunah*, seu *Fundamentum fidei*, in-4 *Ferrariae per eundem Usque anno eodem min. jud.* 314.

En Libri titulum: *Jesod aemunah, secundum opus, quod composuit sapiens R. Joseph Jahbetz felicis memoriae*. Nulla peculiaris editoris praefatio, ut in duabus aliis, huic editioni praefigitur, sed septem versus, quos initialibus litteris auctoris nomen indicare monetur. Typi sunt quadrati; folia editionis 16, non 15 paginae, ut scribit Wolfius, qui postremum folium, in quo usquianum stemma, & aera repetitur, in utroque libro, nostro hoc,

& Maamar achaduth, non videtur enumeraſſe. Sub finem leguntur haec: *Finitum, abſolutumque eſt opus, laus Deo creatori seculi, feria V die XVIII menſis Cheſvan anno 314 a creatione: hic Ferrariae auxiliante Deo, induſtria minimi Iſaaci Alchachim.* In qua epygraphe, ut & in praecedenti, quae deſignatur aera a creatione, de minori judaeorum supputatione intelligenda eſt, quod accuratius ceteroquin ſolet a typographis diſtingui, qui cum annos numerant reapſe a creatione mundi, quinque ſolent millenaria adjicere.

3.° *Ejuſdem R. Joſephi Jahbetz* אור החיים *Or achaiim*, ſeu *Lux vitae*, in-4 *Ferrariae apud eundem Uſque anno eod. 314 min.*

Eadem prorſus eſt hujus, ac praecedentium librorum ratio. Character eſt & ipſe quadratus, & praefatiunculam praemittit Iſaacus Alchachimus editor, in qua rurſus promittit, ut ſuperius animadvertimus, ſe alterum auctoris opus, Commentarium ſcilicet in pirkè avoth editurum. Editio conſtat foliis 28, non paginis 27, ut ſcribit Wolfius Bibl. heb. T. III p. 403, ubi noſtram hanc editionem commemorat. Sub finem operis haec habentur; *Finitum & abſolutum eſt opus, laus Deo creatori seculi, qui verus auxiliator eſt, & exaltetur nomen ejus, induſtria minimi Iſaaci Alchachim.*

Deinde ſequuntur quaedam additamenta & obſervationes editoris ipſius, ac correctoris Alchachimi. Editionis porro aera in libri ejusdem titulo legitur, in quo impreſſus dicitur *Ferrariae in domo excellentis domini Abrah. ben Uſque, quem Deus ſervet, anno 314 minoris supputationis*.

4.° *Anonymi* חבור מעשיות *Chibbur mahaſſioth*, ſeu *variarum hiſtoriarum Collectio*, in-8 *Ferrariae apud Abr. Uſque anno eod.* 314.

Hae hiſtoriae collectae ſunt ex antiquis Medraſchim, & Agadoth, ſeu myſticis, & allegoricis veterum rabbinorum Expoſitionibus. Editio continet paginas, ſeu potius ſolia 36, eamque Tomo II Bibl. heb. p. 1361, ut in pragenſi Oppenheimeri bibliotheca extantem, memorat Wolſius.

5.° *R. Menachem ben Zerach* צדה לדרך *Tzedà laderech*, ſeu *Viaticum ad iter*, in-4 *Ferrar. per Abraham. Uſque anno eod.* 314.

Sic explicit liber: *Impreſſus eſt hic Ferrariae, quae eſt ſub dominio ducis Herculis IV, in domo Abrahami ben Uſque. Fuit autem perfectio ejus die VIII menſis Adar, anno, In umbra, vel protectione Omnipotentis ſperabo*, ſeu 314 judaico minori. Editionem hanc memorat etiam Wolſius Bibl. hebr. T. I p. 764, ubi de hoc libro agit, qui abſolutiſſime omnes judaeorum ritus perſequitur.

MDLV.

1.° *R. Ismaelis Coèn* ספר הזכרון *Liber Azzicaròn*, seu *Memorialis*, in-4 *Ferrariae apud Abrah. Usque anno judaeorum minori 315.*

Liber sistit compendium talmudicorum rituum, ac judiciorum, atque ob id Memorialis ab auctore, ut ipse in praefatione testatur, dictus est, quod ad memoriam revocet, ac collecta exhibeat, quae sparsim leguntur in Talmude. Editio haec, quam possidemus, charactere exarata est rabbinico, & foliis constat 195. Brevior sub initium, sed fusior sub ejus finem habetur designatio loci, ac temporis, quo absoluta fuit. *Finitum & absolutum est opus, laus Deo creatori mundi, hodie feria VII, die XXVI mensis Av anno 315 minoris supputationis, maxima industria R. Jehudae Duron, hic Ferrariae, quae est sub dominio ducis domini Herculis estensis, cujus majestas exaltetur. Impressum in domo domini Abrah. ben Usque hispani. Usque nunc adjuvit nos Dominus; sic adjuvet deinceps, ut dilatemus legem in israël &c.* Usquiano stemmate clauditur editio.

2.° *Pentateuchus cum V Meghilloth*, seu *sacris Voluminibus Cantici Canticorum, Ruth, Ecclesiastis, Threnorum, & Esther, & cum Aphtaroth*, seu *prophetarum Sectionibus, quae per annum leguntur*, in-4 *Ferrariae apud Abra-*

hamum Usque anno minoris judaeorum supputationis 315.

De hac editione perrara, ac bibliographis omnibus incognita fuse differemus Capite proxime sequenti, ubi & selectas ejus varias lectiones in sacrorum criticorum gratiam producemus, & illustrabimus.

3.° *R. Chasdai ben Abraham Kreskàs* אור יהוה *Or Adonai*, seu *Lumen Domini*, in-4 *Ferrariae per Abrahamum Usque anno eodem minori judaeorum 315.*

Duplex, ac varia habetur in hac editione anni nota, altera in fronte, quae fert librum impressum fuisse *In civitate Ferrariae magna, ac celebratissima in domo R. Abrah. ben Usque anno* Civitas *fidelis*, seu 315 *minoris supputationis*, altera vero sub finem, qua sub usquiano stemmate dicitur *Absolutum, ac finitum opus, laus Deo creatori seculi, hodie feria V, die IV mensis Tisri anno 316 min. supput. hic Ferrariae, quae est sub dominio ducis Herculis estensis, cujus gloria extollatur. Impressum in domo R. Abrahami ben Usque hispani*. Wolfius priori aera neglecta, postremam hanc assumpsit, unde ad annum sequentem 1556 nostram hanc editionem retulit T. III Bibl. heb. p. 274. Typis ea constat rabbinicis, ac foliis 32. De libri vero argumento consulatur idem Wolf. T. I p. 387.

MDLVI

1.° *R. Naphtalì Treves* ס' נפתולים, *Liber naphtulim*, seu *luctationum*, in-4 *Ferrariae apud Abrahamum Usque anno 316 minoris judaeorum supputationis*.

Opus complectitur kabbalisticum commentarium in Bechai expositionem Pentateuchi. Nostra haec editio, cujus bina apud me extant exempla, perfecta est rabbinicis typis, ac folia continet 40. In ipso titulo libri impressa extat auctoris praefatio, pagina vero versa expositio ipsa incipit, sub cujus finem reperitur poëtica quaedam admonitio correctoris, seu editoris R. Menachem bar Mosis Israël, in qua testatur se operis praestantia, ac primae editionis raritate motum fuisse, ut rursus opus hoc ederet. Folio vero postremo, quod exhibet consuetum typographicum Usque signum, haec leguntur: *Perfectumque est opus mense Castev anno 316 minoris supputationis, hic Ferrariae sub dominio ducis domini Herculis estensis IV, cujus majestas extollatur, in domo R. Abr. ben Usque. Sicut usque nunc adjuvit nos Dominus, sic adjuvet in posterum, ut dilatemus legem in israël &c.* Plantavitius Biblioth. rabb. pag. 607 librum hunc inter anonymos memorat, quum tamen sub finem diserte legatur eum composuisse R. Naphtalì felicis memoriae. Male etiam titu-

lum vertit *Abstracta Dei*, & male pro libro concionum de divinis attributis agente, ut Wolfius animadvertit, eum habuit.

2.° *R. Mosis Nachmanidis* שער הגמול *Sàhar aghemul*, seu *Porta retributionis*, in-4 *Ferrariae apud Abrahamum Usque anno eodem* 316 *minoris supputationis judaeorum*.

Est sectio seorsim edita libri Torath Adam, agitque de retributione alterius seculi. Typi hujus editionis rabbinici sunt, folia vero 26, non 34, ut notat Wolfius. In ejus titulo mendose auctor vocatur Arambam pro Aramban, confuso Maimonide cum Nachmanide. Duae diversae aerae, & epygraphes exhibentur, altera in fronte, qua absolutum dicitur opus *Mense Tamuz anno* 316 *min. supput. hic in magna ac laudatissima urbe Ferrariae in domo R. Abrah. ben Usque*, altera vero sub finem, qua dicitur *Absolutum mense Tisri anno* 317 *min. supput. hic Ferrariae, quae est sub dominio ducis Herculis estensis IV*, (*extollatur gloria ejus*) *in domo R. Abr. ben Usque*. Explicit editio Epistola Nachmanidis ex Hierosolymis missa. Princeps editio hujus libri est neapolitana anni 1490, quae apud me extat, & de qua suo loco diximus in Annalibus hebraeo-typographicis, & rursus dicturi sumus in eorum Appendice.

3.° *R. Scem Tov* ספר האמונות *Liber haemunoth*, seu *Fidei*, in-4 *Ferrar. apud Abrah. Usque anno eod.* 316.

De editione hac, ac libro, qui de fidei articulis undecim sectionibus agit, & in quo liberiora nonnulla Aben Ezrae, Gersonidis, Maimonidis, aliorumque nimis philosophiae tribuentium placita refutantur, agit Wolfius Bibl. hebr. T. I p. 1127, & III p. 1134. Sed in I volumine editionis annum statuit 1556, in secundo vero annum 1557, secutus, etsi id non memoret, in primo aeram in fronte designatam, ubi dicitur absolutum opus *Mense Tamuz anni* 316 (*a*), in secundo vero epygraphem, quae legitur sub finem, qua editio haec dicitur perfecta *Mense Tisri anno* 317 *min. supp. hic Ferrariae, quae est sub dominio ducis Herculis estensis IV in domo Abr. Usque*. Exarata ea est charactere rabbinico, & foliis constat 116. Adversus librum hunc, atque in Maimonidis defensionem conscriptus est liber השגות Alaskarii, Ferrariae etiam impressus, quem inferius afferemus. Plantavitius, qui de nostra hac editione agit in Bibliotheca sua rabbinic. pag. 554, annum omisit, & paullo aliter, seu in singularem ס' אמונת libri titulum immutavit.

(a) והשלם המלאכה בחדש תמוז ש״ו לפ״ק.

4.° *R. Josephi ben Scem Tov* כבוד אלהים *Chevod Elohim*, seu *Gloria Dei*, in-4 *Ferrariae apud Abrahamum Usque anno eodem minoris supputationis 316*.

Auctoris institutum est in hoc opere philosophice, atque ex Aristotelis potissimum placitis de hominis, legisque mosaicae praestantia agere. Editio constat & ipsa charactere rabbinico, hancque sub finem exhibet epygraphem. *Finitum & perfectum est opus, laus Deo creatori seculi, hodie feria V, die IV mensis Tisri anno 316 min. supput. hic Ferrariae, quae est sub dominio ducis Herculis estensis IV in domo Abrahami Usque.*

5.° *R. Jacobi filii Joabi Eliae fanensis* שלטי הגבורים *Scilte agghibborim*, seu *Clypei fortium*, in-12 *Ferrariae per Abrahamum Usque anno eodem 316*.

In nonnullos errores lapsus est Wolfius editionem hanc referens T. III Biblioth. hebr. p. 467. Primo enim suppostitium libri titulum attulit, qui non est זמר, seu Carmen rythmicum, sed Scilte agghibborim. Dein vero opus hoc distinxit ab eodem Scilte, de cujus argumento nihil sibi constare asserit, ac binos ex uno eodemque libros fecit. Demum paginas 14 illud complecti asserit, quod continet 16 folia. Ex exemplari, quod nuperrime nacti sumus,

perbrevem hic, atque accuratiorem hujuſce opuſculi deſcriptionem ſubiiciemus. Libri titulus eſt *Scilet agghibborim, quod compoſuit excellens R. Jacob filius R. Joabi Eliae fanenſis f. m.* Sub uſquiano ſtemmate dicitur *Impreſſum in urbe magna ac nobiliſſima Ferrariae in domo Abr. ben Uſque menſe Av anno 316*. Poſt nonnullas rythmicas praefationes exhibetur fuſum Poëma 60 stropharum, quarum unaquaeque tribus verſibus conſtat, & amplo interjecto quinque linearum ſpatio ab altera diſtat. Poëma hoc auctor compoſuit in gratiam R. Jehudae Somi, ejuſque nuptiarum, ut teſtatur in Praefatione. Illud excipit, ut recte animadvertit Wolfius, auctoris noſtri קינה, ſeu poëtica Lamentatio, vel lugubre Carmen, quod 30 strophis, ſeu 90 verſibus abſolvitur, in coedem Anconae factam nonnullorum judaeorum, qui omnes hic ordine enumerantur, & quorum laudes breviter Jacobus perſequitur. Ex poſtremis duabus strophis colligitur auctorem hoc eodem anno 1556 Ferrariae peregrinum & advenam fuiſſe, atque ibidem ſuum hoc poëma compoſuiſſe. Sub ejus finem haec leguntur: *Finitum, ac completum eſt opus, laus Creatori seculi, hic Ferrariae menſe Elul anno minoris supputationis 316 in domo R. Abrahami ben Uſque, quem Deus tueatur.*

4.° *R. Biniamini Tudelensis* מסעות *Masahòth*, seu *Itinera*, in-8 *Ferrariae apud Abrah. Usque anno eodem 316 minoris judaeorum supput.*

Itinerarium sat celebre, cujus multae extant tum judaeorum, tum christianorum editiones. Inter eas luculentior habenda, quae cum latina versione l'Empereur elzevirianis typis prodiit, rarior autem, atque omnium prima constantinopolitana. Utramque nos possidemus. De Ferrariensi hac, quae & ipsa perrara est, consulatur Wolfius Bibl. heb. T. I p. 248 & III pag. 152.

7.° *R. Abraham ben Elimelech* לקוטי שכחה *Likutè scecachà*, *Collectanea*, vel *Manipuli oblivionis*, in-4 *Ferrariae apud Abrahamum Usque anno eodem 316.*

Consuetus in libri fronte usquianus ornatus, ac stemma occurrit. Typi rabbinici sunt, editionis folia 36. Opus tum sub initium, tum luculentius sub finem absolutum dicitur *Mense Adar ann. 316 min. supput. hic Ferrariae sub dominio ducis Hercul. estensis IV (exaltetur majestas ejus) in domo R. Abr. Usque*. Postea vero sequuntur quatuor folia eodem charactere rabbinico, quae exhibent Quaesita & Responsa R. Josephi Gecatiliae. Liber, nonnisi ex citatione in libro Caphtor, & ex Indice librorum expurgandorum Plantavitio notus, qui

proinde incerto illum auctori tribuit, sistit commentarium kabbalisticum in lectiones quasdam talmudicas, ut jam animadvertit Wolfius Bibl. hebr. T. I p. 33, ubi & nostram hanc editionem refert. Henningius, & Bibliotheca rariorum librorum universalis, seu Supplementum ad I ejus volumen, quod Norimbergae prodiit anno 1774 pag. 5, raritatis notam ferrariensi huic editioni attribuunt.

8.° *R. Jonae Gerundensis liber* איסור ואיתר *Issur veethar*, seu *Vetiti & liciti*, in-4 *Ferrariae apud Abr. Usque hoc eod. anno 316*.

De auctore & libro ipso consulatur Wolfius Bibl. hebr. T. III p. 373, ubi & editionem nostram affert, sed annum ei statuit 315; forte quia alia in titulo, alia vero serior sub finem, ut alibi factum vidimus, occurrit anni nota. Complectitur paginas 161.

9.° *R. Abrah. Chajon* אמרות טהורות *Amaroth teoroth*, seu *Eloquia munda*, in-4 *Ferrariae apud Abr. Usque anno 316*.

Extabat in pragensi Oppenheimeri Bibliotheca, & complectebatur paginas, vel folia 46. Conferatur Wolfius Bibl. hebr. T. III p. 31, qui monet in titulo vocari auctorem filium Don Nissim Chajon ulyssiponensis, & in fine occurrere epistolam quamdam R. Josephi Gecatiliae a pag. 37 usque ad calcem libri. Plan-

tavitius, cui ſolus libri titulus ex pragenſis synagogae Catalogo cognitus fuerat, ejus ſe auctorem, & editionem deſignare non potuiſſe adfirmat Bibl. rabb. pag. 554.

MDLVII.

1.° *R. Niſſim bar Jacob* חִבּוּר יָפֶה מֵהַיְשׁוּעָה *Chibbur japhè meajeſcuàh*, ſeu *Opus perpulchrum de salute*, vel *salvatione*, in-12 *Ferrariae apud Abraham. Uſque anno min. judaeorum supputationis* 317.

Vidi Romae in Bibliotheca sanctae Pudentianae patrum ciſtercienſium exemplar ipſum, quod ad Bartoloccium pertinebat, & ex quo Bartoloccius Bibl. rabb. T. IV p. 413 hiſtoriam quamdam, ſeu potius ſabulam de R. Joſua ben Levi, qui in paradiſum advolarit, hebraice & latine exhibuit. Editio charactere quadrato conſtat, & foliis 48, ſub quorum finem dicitur *Abſoluta menſe Niſan anno* 317 *min. supput. hic in Ferrariae urbe magna ac celebri, quae eſt ſub dominio ducis Herculis eſtenſis in domo R. Abrah. ben Uſque*. Minus recte, ut ego quidem arbitror, Wolfius, qui de hoc libro, & editione agit Bibl. heb. T. I p. 915, libri titulum vertit *Compoſitio pulchrior ſalute*, cum ibi mem praefixum, non comparationem, ſed argumentum deſignet, atque idem valeat, ac על.

2.° *R. Abrah. Chasdai* בן המלך והנזיר *Ben amelech, veanazir*, seu *Filius regis*, & *nazaraeus*, in-8 *Ferrariae anno 317 min. supp.*

Editionis hujus mentio occurrit apud Scabtaeum in Sciphtè jescenim, & apud Wolfium in Bibl. heb. T. 1 p. 58, qui etiam contexens sub voluminis finem seriem editionum, quae in Oppenheimeri Bibliotheca desiderabantur, inter eas nostram constituit. Sed ut extat editio mantuana hoc eodem anno 1557 facta, quae apud me extat, suspicor Scabtaeum, qui in plures alias hujusmodi hallucinationes lapsus est, alteram cum altera confudisse, & Ferrariam ipsi Mantuae loco excidisse. Primaria Libri editio est constantinopolitana anni 1518.

3.° *R. Mosis Alasckar* השגות *Ascagoth*, seu *Animadversiones*, in-4 *Ferrarie apud Abrah. Usque anno 317 judaeorum minori.*

Eas conscripsit auctor, ut supra tetigimus, adversus librum Emunoth R. Scem Toý, editque quidam Baruch Uziel, qui illas inter auctoris Responsa repererat. Integer libri titulus est: *Animadversiones, quas fecit sapiens R. Moses Alaskar fel. mem. in id, quod scripsit R. Scem Tov in libro suo Emunoth adversus Maimonidem*. In eo autem dicuntur *Impressae hic Ferrariae, quae est sub dominio ducis Herculis estensis IV in domo R. Abr. Usque mense*

Tisri, *anno* & erit, antequam clament, ego exaudiam, scilicet 317. Typi sunt quadrati, & consueto ornatur titulus Usque stemmate. Hanc editionem memorat Wolfius Bibl. hebr. T. I p. 803, & III p. 729, ubi observat nomen יהוה per tria jod in ea efferri.

MDLVIII.

R. Peretz מערכת האלהות *Maharecheth ahelauth*, seu *Ordinatio divinitatis*, in-4 *Ferrariae apud Abrah. Usque anno jud. min. 318 cum duplici commentario*.

Nonnulli R. Azarieli Saghi Nahor tribuunt librum hunc, qui quindecim sectionibus de kabbala, seu kabbalisticis Dei sephiroth, ac mysteriis agit. Editionem hanc, quam apud doctum mutinensium judaeorum rabbinum Salomonem Amadio Sinigaglia vidi, caerulea charta splendididissime excusam, suo loco affert Wolfius Bibl. heb. T. I p. 998, & 946, & III p. 955. Constat paginis 286. Atque hunc postremum esse puto librum ab Usque impressum, quum ultra annum hunc 1558 nullus reperiatur ab eo impressus. Plantavitius, qui in Bibl. rabb. pag. 597 hujusce editionis mentionem facit, ter in perbrevi ejus descriptione peccavit, in anni scilicet nota, quem statuit 5310, qui non 1570 Christi, ut scribit, sed 1550 respondet, in designatione loci, quem

decernit esse Venetias, in typographi demum cognomine, quod aït esse *Uschai*.

MDXCI.

Anonymi מפריש חטאים *Mefaresc chataim*, seu *Exponens peccata*, *Ferrariae anno minoris supputationis judaeorum 351*.

Wolfius editionem hanc recenset Bibl. heb. T. II p. 1364, ubi etiam notat peccatorum confessionem ex majori opere Berith Abraham haustam esse. Nescio unde notitiam hujus editionis hauserit Wolfius, qui libri formam, folia, impressorem non nominat, ut valde de ea dubitem.

MDCXCIII.

Anonymi סדור מברכה: *Siddur mibberachà*, seu *Ordo benedictionis*, in-12 *Ferrariae apud Filoni per Joseph. Nissim*, & *Abrah. Chaiim fanensem anno min. judaeorum supput. 453*.

Editio Wolfio, ac ceteris bibliographis incognita; quae integrum hunc praefesert titulum: *Ordo benedictionis juxta ritum synagogarum sanctarum Italiae, quas Deus servet, cum ordine omnium benedictionum, & earum commentario. Hic Ferrariae anno 453 min. supput. opera clarorum, ac celsorum Josephi Nissim, & Abrahami Chaiim de Fano, habitantium Mantuae.* In Ferrara MDCXCIII. Per il Filoni. Typi sunt quadrati minores cum punctis, ac luculenti; paginae vero 161. Mantuanos hos

typographos ad librum hunc, quem possidemus, imprimendum ex Mantua ipsa, ut mihi quidem videtur, accitos alios praeterea libros Ferrariae edidisse non reperio, nec alios editos fuisse arbitror, quum hebraicos typos in typographia sua extantes rursus fuderit, & in latinos converterit Filonius, ut certa constantique traditione ex ejus haeredibus adhuc superstitibus percepit cl. Barufaldus.

CAPUT IV.

DE PENTATEUCHO HEBRAEO-FERRARIENSI ANNI MDLV BIBLIOGRAPHIS OMNIBUS INCOGNITO, EJUSQUE VARIIS LECTIONIBUS.

Rarissima haec editio, de qua Lelongius, Wolfius, ceterique bibliographi profundissime silent, quadrato charactere absque punctis, binisque columnis Pentateuchum sistit; v Meghilloth, seu sacra volumina Cantici Canticorum, Ruth, Ecclesiastis, Threnorum, & Esther, ac praeterea Aphtaròth, seu propheticas sectiones, quae in judaeorum synagogis per annum leguntur. In fronte dicitur Ferrariae facta in Usque domo anno תעלץ קר״יה *Exultet civitas*, seu 315 judaeorum, christianorum 1555; pagi-

na vero verſa perbrevis occurrit praefatio rabbinicis typis correctoris, ac ferrarienſium synagogarum praecentoris Rabbi Biniamin Saul De Rubeis (*a*), in qua purgatum ac correctiſſimum Pentateuchi exemplar ſe exhibere teſtatur ex publico, eoque antiquo & accuratiſſimo deſumptum, ac diligenter deſcriptum. Conſuetum uſquianum ſtemma ſub editionis initium, dimidium, ac finem conſpicitur. Poſt Pentateuchum ſequens occurrit epygraphe: *Benedicamus Domino omni tempore, qui dignum me fecit, ut abſolverem miniſterium ſanctum, opus Pentateuchi hujus correctiſſimi iuxta conſtitutionem ejus, ſecundum ſtatutum Libri legis* (publici, ac synagogae), *hodie feria VI initio menſis Caslev, anno* נאמנה׃ קרי"ה׃ Civitas fidelis, ſeu 315, *hic Ferrariae*. Sub finem vero Aphtaroth, ac totius operis haec rurſus leguntur: *Abſolutumque eſt opus menſe Marcheſvan anno 315 minoris supputationis, hic Ferrariae ſub dominio ducis domini Herculis eſtenſis IV, cujus gloria extollatur, in domo R. Abrahami ben Uſque, quem Deus tueatur*. Pentateuchus hic ferrarienſis a judaeis appellatur communiter המוגה, ſeu correctiſſimum exemplar & apogra-

(a) *Cognati, ut videtur, celeb. Azariae de Rubeis incolae ferrarienſis, de cujus laudibus, ac libro Meor enaim alibi diximus.* V. Eſame delle rifleſs. teologico-crit. *pag. 50 ſeq.*

phum, ad cujus legem ac normam publica synagogarum exemplaria legis rite deſcribi queant, atque ad hunc potiſſimum uſum abſque punctis, atque accuratiſſime quoad litteras plenas, ac defectivas, majuſculas, ac minuſculas, item quoad ſectiones apertas, & clauſas, & quoad pauſas ex famigeratiſſimo ferrarienſi majoris synagoge codice ms. editus eſt, ut patet ex praefatione, & epygraphe. Hinc pergratam nos rem sacris criticis facturos arbitramur, ſi ſpeciminis gratia ſelectas varias lectiones hujus editionis hic producamus, obſervantiunculis nonnullis illuſtratas.

GENESIS

IV 8 Habetur hic Piskà, ſeu ſpatium vacuum duorum vocabulorum inter אחיו, & ויהי. Sed corrector editionis ſub ejus finem monuit pauſam hanc non eſſe neceſſariam; anonymus vero exemplaris poſſeſſor ms. ad ejus marginem notam adjecit, qua animadvertit nullam hic adeſſe Piskà, eamque emendavit. Doctiſſimus Kennicott, qui de hoc hiatu multa in 1 ſua Diſſertatione de hebraici textus conditione commentatus eſt (*a*), in ſuis Bibliis viginti duos codices produxit, qui eum con-

(a) The ſtate of the printed heb. text. *diſſ. 1 pag. 347 ſeqq.*, *latinae vero edit. german. pag. 332 ſeqq. Veroſimile eſt Kennicott. codicum pleroſque eſſe impreſſos.*

firmant, quibus unus aut alter ex meis codicibus addendus est. Ex editionibus, quas possideo, desideratur lacuna in Bibliis soncin. 1488, in Brix. 1494, & in aliis absque anno & loco, sed sec. xv, item in Pentateucho bononiensi 1482, in Soriano 1490, Ulyssiponensi 1491, in Antiquo absque punctis xv seculi absque anno, & loco, in Thessalonicensi an. 1521, & in duobus Constantinopolitanis anni 1505, & 1522. Habetur autem in Bibliis magnis rabbinicis Bombergii, in Parisiensibus Rob. Stephani an. 1544 in 16, in Antwerpiensibus sine punctis anni 1573, in Hartmannianis anni 1595, quae nuper humanissime ad me dono transmisit clarissimus Husnagel, in Lugduno-batavis sine punctis anni 1610, Venetis an. 1615-1616 (a), in Pentat. veneto 1527, in alio membranaceo absque loco, sed Sabionetensi 1558, in Sabionetensi altero pariter membranaceo cum targum alternis versibus 1557, in Veneto accuratissimo 1547, & in alio etiam Veneto cum latina versione anni 1551. Ex antiquis exemplaribus, ac versionibus notum est duobus hic verbis *Exeamus in agrum* lacunam supplere Samaritanum, Lxx, Vulgatum, Syrum, ac binas chaldaicas Paraphrases, Jonatha-

(a) *Non 1614-1615, ut tradunt Lelongius, ac Wolfius.*

nis, ac Hierosolymitanam. Singularis est modus, quo eam supplet insignis codex hellenisticus Venetus Bibliothecae divi Marci, qui a dextra sinistrorsum hebraeorum more Pentateuchum, Proverbia, Ruth, Canticum, Ecclesiastem, Threnos, & Danielem sistit ex hebraeo fonte graece ab anonymo judaeo hellenista conversos. Vertit enim: Καὶ εἶπε Κάϊν πρὸς Εβελον τὸν εαυτοῦ ἀδελφόν ·γρ.... χρηστὸν καὶ πονηρόν. νῦν ὄυν ἐν τῷ εἶναι σφε ἐν τῷ ἀγρῷ &c., in textu ipso referens additamentum hoc, quod non Kaini verba ad Abel, sed puram amanuensis notam, & observationem de oppositis utriusque fratris moribus complectitur. Pretiosum hoc κειμήλιον, cujus specimen ac lectiones nonnullas benevole mecum communicavit clar. Gallicciolli, brevi editurus est doctissimus De Villoison non sine summa sacrorum criticorum voluptate, & emolumento, qui ex eo luculenter inspicient, quae fuerit retroactis saeculis in Graecia, vel apud judaeos hellenistas hebraici textus conditio, ac fides.

IV, 18 וילד defective. Ita Samar. textus. In collect. Kennic. nullus hic codex producitur, qui lectionem hanc confirmet a correctore nostrae editionis, ut mendosam, reprobatam.

V, 9 Idem verbum defective. Nulla etiam hic codicum discrepantia in Kennic. Bibliis.

IX, 29 ויהיו plur. Hinc constat publicum illud synagogae exemplar, ex quo haec editio curata est, fuisse germanicum. Hispanica legunt ויהי. Nostrae editionis lectio confirmatur a codicibus Kennic. 191.

XVIII, 20. Legitur והפרתי defective contra Masorae fidem. Ita Kennic. codices 26.

XXVIII, 19 ביתאל junctim, ut plane habent 16 ex Kenn. codd. In exemplari, quod habeo prae manibus, anonymi cujusdam scribae manu notatur junctim, unaque voce legendum.

XXXVI, 7 מגוריהם defective. Ita Kennic. codd. 29.

XLI, 2 ותרענה absque jod. Ita codd. Kenn. 8; sed hanc, ut & superiorem lectionem inter menda sub finem retulit corrector.

XLVI, 20 פוטיפרע junctim, unoque verbo. Ita Samar. & 26 codd. Kennic.

XLVIII, 18 הבכור plene. Ita Samar., ac 38 codd. Kenn. reluctantibus masorethis. Consul. R. Levi Todros lib. Masoreth fol. 11.

EXODUS.

XI, 1 אחריכן uno verbo. Mendosa lectio, quae 15 Kenn. codd. auctoritate confirmatur.

XII, 24 ושמרת in singulari. Nulla hujus lectionis vestigia in Kenn. codicibus, etsi con-

textus, & syntaxis analogia firmetur, ac Vulgata versione. Sed syntaxis etiam pluralem patitur, eamque plura exempla confirmant, & reliquae versiones antiquae. Hinc recte a correctore inter menda relata est haec lectio.

LEVITICUS.

I, 10 הכבשים pro הכשבים. Ita 3 codd. Kenn., & contextus analogia, quae utrumque patitur, quum utrumque idem significet. Sed mendosam lectionem arbitror.

XI; 30 והלטאה absque lamed majusculo. Ita 95 codd. Kenn., & Menachem Lonzano in Or torà.

NUMERI.

III, 37 ויתידתם plene. Ita codd. Kenn. 23. Sed in accuratioribus codd. mss., & antiquis editionibus legitur defective, ut recte monet ad h. l. Norzius.

VII, 17 עתדים defective. Ita 14 codd. Kennic.

VII, 78 ענן defective, ut legunt tres codd. coll. Kenn. Id inter menda sub finem refertur, etsi vers. 83 idem vocabulum rursus defective in nostra hac editione exhibeatur. Posteriori hoc loco bini Kenn. codices huic lectioni adstipulantur.

X, 10 ונמועדכם defective quoad jod. Nullus pro hac lectione codex Kenn. producitur, uno excepto, qui utrumque omisit, jod. & vav initiale. Consul. quae contra eam notat Norzius.

X, 10 חדשיכם plene. Ita Sam. & codd. Kenn. 66. Sed in pluribus codicibus id contigisse putat Norzius ad h. l. ex una confusione loci alterius Legis, in quo idem verbum plene occurrit. Consulantur quae apud eum notant sacri judaeorum critici.

XXVII, 5 משפטן cum nun minusculo. Lectionem hanc servant codd. Kenn. 51.

DEUTERONOMIUM.

XXIV, 3 כריתות plene. Ita 15 codd. Kenn.

XXXII, 4 הצור cum tzade minusculo, ut plane habent Kenn. codd. 101.

Ibib. 6 הליהוה cum he majori, sed junctim unoque verbo. Ita legunt codd. Kenn. 19.

Ibid. 5 ויפתלתל cum pe majusculo. Ms. marginalis nota in exemplari, quod prae manibus est, impressam lectionem confirmat. Ita etiam habent 5 mei codices, in quibus etiam Masora marginalis producitur, quae illud notat. In dispositionibus etiam scribarum, & majuscularum litterarum Indice, qui extat sub finem operis Masorethici R. Levi Todros Florentiae

primum impressi anno 1750, nostrum hoc pe etiam occurrit. Norzius dum notat in multis codicibus illud desiderari, sat innuit se illud in nonnullis reperisse, & expresse etiam addit se majusculum vidisse in exemplari quodam majusc. litterarum, & in alio antiquo libri Legis, seu in antiquo Tikkon ejusdem libri. Mirandum ergo nullum hujusce lectionis, ac majusculae litterae vestigium in Kennic. codicibus, ac Bibliis reperiri.

RUTH.

I, 8 Keri, seu lectio marginis, in textu ipso exhibetur, quod idem fit III, 3, 4, 5, 12, 13, 14, 17, IV, 4, 5, 6.

III, 9. Legitur כנפיך plural. *alas tuas*, ut legunt bini codices Regiomontani a Lilienthalio producti (*a*), Erfurtensis II ante correctionem, III, & IV post corr. apud Michaëlis, Helmstadiensis primo, & Stutgardianus apud Schellingium (*b*). Accedunt ex meis codicibus octodecim, qui, retentis numeris, quos nunc in mss. meorum Indice obtinent, sunt 10, 14, 16, 31, 41, 59, 63, 187, 193, 197, 198, 209, 230, 262, 263, 265, 332, 343. Hi codices varias sacri textus partes ac libros

(a) Comment. crit. de duobus codd. mss. regiom. *pag. 120*.

(b) Descript. cod. ms. stutgard. *pag. 131*.

complectuntur, quos adamussim ac fuse alibi describemus, uno excepto, qui integrum Bibliorum corpus sistit, pulcherrimo ac nitidissimo 187 hispano, quem amici mei singularis doctoris Crotti officiis, liberalitati autem, ac beneficio humanissimi Isaaci Finzi judaei riparoliensis debemus. Ex vetustis editionibus lectionem hanc confirmant neapolitana Agiographa 1487, & Biblia complutensia. Lilienthalius, qui in ejus confirmationem Lxx interpretes producit, latina eorum versione in anglicanis Polyglottis extante, quae hic, & saepissime alibi mendosa est, deceptus videtur; a qua propterea perpetuo cavendum est criticis, ne de orientalium versionum lectionibus judicent. Lxx enim aperte singularem lectionem hodiernarum editionum sequuntur, vertentes τὸ πτερύγιον σου.

THRENI.

I, 11. Keri in textu ipso. Idem II, 2, 15, 19, III, 20, IV, 3, 12, V, 21. Capite vero II, 13 neutrum legitur, nec lectio textus, nec alia marginis, sed defective אעדך.

ECCLESIASTES.

I, 17. וסכלות cum samech.

VII, 18. Primum את omittitur, ut in editione Pragensi. Punctis etiam destituitur in cod. 1 Regiom., ut notat Lilienthalius.

XI, 9. Keri extat in textu, ut in Bibliis brixienſ., & edit. Prag. 1518.

ESTHER.

I, 16. Lectio, quam ad marginem exhibet Keri, in textu ipſo recipitur. Idem III, 4, IV, 4, 7, VIII, 13, IX, 27.

CANTICUM.

I, 17. Neutrum hic legitur, nec רחיטנו, ut in textu, nec רהיטנו, ut habet Keri, ſed pluraliter רהטינו *ambulacra noſtra*. Optima lectio, quam confirmant vetuſtae omnes verſiones.

IV, 4. דוד abſque jod. Multa de hac lectione apud Lilienthal. pag. 116 ſeqq., & Schelling. pag. 125.

APHTAROTH,

SEU

PROPHETICAE SECTIONES.

SAMUEL.

Lib. I, cap. XII, 13 in sectione קרח, legitur ואשר שאלתם cum vav praefixo. Ita bini codices Regiom., Helmſt. poſt correctionem, Biblia brixienſia, Vulgatus, Syrus, & Arabs. V. Lilienth. pag. 141.

REGES.

Lib. I cap. I, 18 in sectione חיי שרה pro altero ועתה Et nunc, quod legitur in hodiernis editionibus, in Pentateucho nostro melius, & accuratius legitur ואתה Et tu, ut plane legitur in plurimis optimae notae mss. codicibus. Sic habent apud Lilienthalium bini Regiomontani, II, & III Erfurtensis, Helmstadiensis post correct., Stutgardianus, Norimbergensis I ante corr., Ebnerianus II apud Nagelium, qui lectionem hanc alteri praefert (a). Kennicottus in sua Collectione codices 209 producit, qui lectionem hanc praeseferunt. Accedunt ex meis codicibus triginta duo, qui sunt 1 bis tum in textu, tum in aphtarà, 2, 4, 6 nunc, 11, 13, 16 ante corr., 20, 21 primo, 174, 187 primo, 191 post corr., 196, 197 nunc, 200, 211, 226 ante corr., 230, 233, 248, 262, 265, 266, 267, 291, 295, 305, 319, 335 primo, 341, 345, 346. Lectionem hanc auctoritate sua luculenter etiam ante corr. confirmat splendidissimus, eximiaeque notae codex ms. immortalis pontificis felicissime regnantis Pii VI, qui integrum Bibliorum corpus cum chaldaica paraphrasi alternis versibus complectitur. De

(a) Diss. de duobus codd. mss. norimberg. pag. 26.

pretiosissimo hoc cimelio, quod non annuente solum, sed & votis meis ac publicae utilitati ultro, largissimeque favente possessore ipso augusto ac doctissimo, nos ipsi primum contulimus, plura dicemus tum in chaldaicis Estherae Additamentis ex eo brevi edendis, tum in nova nostra variarum lectionum Collectione, ubi quadringentas & quadraginta circiter selectas varias lectiones clarissimi sacrarum litterarum professoris canonici Reggi, qui praesens collationi interfuit, judicio insignes, ac criticorum attentione dignissimas ex illo producemus. Ex antiquis meis editionibus ita legunt Prophetae priores an. 1486, Biblia soncin. 1488, Pentat. cum v meghilloth & aphtaroth absque punctis xv seculi absque anno & loco, item Costantinopolitanus anni 1522. Consentiunt interpretes antiqui, Lxx, Chaldaeus, Vulgatus, Syrus, & Arabs.

II, 3. In sect. ויחי legitur ומצותיו cum vav praefixo, ut in cod. Regiom., Helmst., Erfurt. III, Stutgard., in edit. Brixiensi, Prag. 1518, Bomberg. 1525, & R. Menassè ben Israël. V. Lilienth. pag. 132, & Schelling. pag. 103.

Lib. II cap. IV, 2, 5, 7, 16, 23, 34 Kerì in textu ipso extat, & vers. 7. legitur ובניכי cum vav praefixo.

ISAIAS.

LIV, 16. In sect. *Toledoth Noach* Keri in textu ipso, ut in cod. Regiom. I, Helmst., edit. Prag. 1518.

LVIII, 13. In sect. diei expiat. ad mane חפצך absque jod, & sing., ut editio Michaëlis, Prag. 1518, Bomb. 1525, cod. Regiom. II, Helmst., Lxx, & Chald. apud Lilienth. pag. 155.

JEREMIAS.

IX, 22. In sect. צו legitur ואל יתהלל עשיר cum vav praefixo. Ita nonnulli codices, & editiones apud Lilienth. pag. 137, & Schell. pag. 181.

XVII, 1. In sect. בחקתי pro hodierno מזבחותיכם *ararum vestrarum*, legitur מזבחותיהם *ararum eorum* melius, ut habent bini codices Regiomontani, & viginti duo ex meis codicibus, videlicet 1 in aphtarà בהר סיני, (ita etiam in textu videtur primum fuisse), 3, 4, 6 primo, 11, 20, 24 primo, 26, 29, 186 ante corr., 197, 200, 211, 226 ante corr., 230, 248, 262, 267, 291, 295, 319 integrorum Bibliorum nuperrime humanissime mihi concessus a doctissimo Schnurrer, & 345 ante corr. Congruit ante corr. Pontificius codex superius

laudatus. Ita etiam habetur in Bibliis soncin. 1488, & ita vertit Vulgatus, Syrus, & Arabs. In Lxx hic versus deest, sed in Hexaplis Origenis ὁι λοιποί hanc lectionem confirmant, ut recte a Lilienthalio observatum est, qui praeterea in ejus fidem adducit etiam Chaldaeum, rursus, ut puto, deceptus mendosa versione latina, quae habetur in Polyglottis. Nam in textu habetur אוריכון cum suffixo secundae personae pluralis. Mendosa est etiam hic versio latina interlinearis hebraici textus, quae in iisdem Polyglottis extat, quae eum refert, ac si legeret מנחתיהם. Ut autem pro varietate codicum variat etiam Targum, non dubito, quin extent targumici codices, & forte etiam multi, qui nostram hanc lectionem habeant, de qua, etsi pluribus, iisque optimae fidei testibus firmetur, nihil tamen, quod vehementer miror, in suis Bibliis habet Norzius.

OSEAS.

XIII, 2. In sect. ויצא pro בתבונם *in intelligentia sua*, legitur כתבונם *secundum intelligentiam suam*. Mira mss. codicum, & editionum copia confirmatur varia haec lectio. Eam apud Schellingium habet codex Stutgardianus, Regiom. II, Erfurt. I, II, III, V post corr., codex item Pocockii ab eo allatus in Comm.

in Hoſeam pag. 725. Eam triginta ſex ex mſs. meis codicibus, ſcilicet 1, 2, 3, 4, 7, 11, 20, 23, 24, 26, 27, 29, 79, 174, 186, 187, 196, 197, 200, 210, 226, 230, 233, 240, 248, 262, 264, 265, 266, 295, 304, 305, 319, 341, 345, 346. Accedit Pontificius codex. Ex antiquis vero meis editionibus eam habent Prophetae poſteriores 1486, Biblia Sonc. 1488, Brix. 1494, Pentateuchus cum meghill., & aphtar. abſque punctis xv seculi, Conſtantinopolitanus 1505, Prophetae poſter. 1516, iidem cum Com. Abarb. 1520, Pent. conſtantinopolit. an. 1522, Venetus 1527, Biblia Rob. Steph. in 16. Ita etiam legerunt Lxx, Vulgatus, Chaldaeus, Arabs, niſi quod כתמונת, vel כתמונם, imaginis ſcilicet ſignificatione, legiſſe videntur. Hinc recte Norzius, qui lectionem hanc in ſua Bibliorum editione praetulit, animadvertit in omnibus mſs. ſic legi cum caph, & ſic interpretes omnes expoſuiſſe.

AMOS.

III, 1. In sect. וישב loco בני ישראל *Filii Iſraël*, legitur בית ישראל *Domus Iſraël*. Ita apud Lilienthal., & Michaëlis cod. Erfurt. II ante corr., & I ad marg., & Regiomont. I, & edit. Prag. 1518, Lxx, & Arabs. Quinam ex mſs. meis codicibus lectioni huic adſtipulentur, alibi exponemus.

OBADIAS.

Verſ. 12. in sect. וישלח legitur אל abſque vav praefixo, ut in cod. Stutgard., Regiom. II, & I poſt corr., in Berolinenſi, Helmſt., in Bibliis brix. legi notant Schellingius, & Lilienthalius.

CAPUT V.

LIBRI HISPANICI, AC LUSITANICI, QUI EX FERRARIENSIBUS JUDAEORUM TYPOGRAPHIIS PRODIERUNT.

MDLII.

1.° *Lybro de Oracyones de todo el anno*, in-8 *apud Abrah. Uſque anno minoris judaeorum supputationis* 312.

Poſt hebraicas editiones enarrandas ſuſcipimus hiſpanicas, ac luſitanicas, quae ferrarienſium judaeorum typis impreſſae ſunt. Eae ſunt numero pauciſſimae, ac prima inter illas ordine occurrit noſtra haec judaicarum precum, a Wolfio memorata, quae abſque ulla loci nota prodiit, ſed apud Abrahamum Uſque, adeoque Ferrariae, ut idem Wolfius recte animadvertit.

2.° *Biblia Española* in-fol. *Ferrariae apud Abrah. Usque anno majoris judaeorum supputationis a creatione mundi 5313.*

Celeberrimae huic hispanicorum Bibliorum editioni, quae fusam descriptionem postulat, integrum quod sequitur, Caput V destinamus.

3.° *Orden de Ros hasanah, y de Kippur*, in-12 *Ferrariae per Abraham Usque anno judaeorum maj. 5313.*

Librum hunc memorat Wolfius Biblioth. heb. T. I p. 32. Sed perperam eum Abrahamo Usque, ut auctori, tribuit, qui ejus editor tantum fuit ac corrector. Perperam etiam, ac falso *in-4* eum impressum asserit. Editio haec, quae apud me extat, constat typis gothicis, ac foliis 262. Primi qui occurrunt, ordines sunt *Orden de noche*, & *de mañana de Ros hasanah*, seu vespertinae, ac matutinae preces, quae in festo initii anni dicuntur, quas excipiunt preces expiationis & alia. Postrema libri pagina habetur foliorum, seu litterarum descriptio, typographica Usque nota, ac perbrevis epygraphe, qua dicitur opus *Estampado en Ferrara 1553 a 22 del mes de Setembro*. Eandem cum hac editionem esse puto eam, quam Wolfius Biblioth. heb. T. III pag. 1201 se reperisse testatur in Catalogo bibliothecae ungerianae, atque integrum hunc titulum

praeseferre: *Machazor orden de Rosch Hasschana y Kippur trasladado en Español y de nuevo emendado por industria y deligencia de Abr. Usque ben Schelomo Usque portugues, estampado en su casa y a su costa, en Ferrara a 15 de Elul 5313*. Antea ergo liber ab anonymo, ut opinor, versus fuerat, nuperrime vero ab Usque emendatus & editus, quod idem, ut videbimus, de Bibliis ipsis hispanicis praestitit.

4.° *Psalmi hispanice*, in-12 *Ferrariae anno a creatione juxta receptam judaeorum supputationem 5313*.

Editionem hanc referunt Lelongius Bibl. sacr. p. 368, ac post Lelongium Wolfius Biblioth. heb. T. II p. 452, eaque proculdubio tribuenda est Abrahamo Usque, qui ceteros hispanicos libros, ut hucusque vidimus, impressit.

5.° *Samuel Usque Consolaçam as tribulaçoens de Ysraël*, in-4 *minori Lusitanice Ferrariae per Abrah. Usque anno eod. 5313*.

Iisdem gothicis typis, quibus reliqua, etiam librum hunc imprimendum suscepit hoc anno Abrah. Usque, in suorum solatium a Samuele cognato suo elaboratum. Opus hoc lusitanicum tribus dialogis absolvitur, in quibus sub Jacobi, Nahum, ac Zachariae nominibus de variis judaeorum calamitatibus, exiliis, oppressionibus, sive ante, sive post I & II Tem-

plum, ſive in Paleſtina, ſive extra apud varias nationes ab illis paſſis commentatur, ac miſerae ſuorum conditioni ſolatioque, productis illuſtriorum prophetarum oraculis ſolatoriis, conſulere conatur. Summa dialogorum capita enarrat Wolfius Biblioth. heb. T. III p. 1072, ubi accuratam libri deſcriptionem ſuppeditat, non tamen, ut ipſe opinabatur, ex vera editione ferrarienſi, ſed ex amſtelodamenſi, quae cum eundem titulum, atque anni & loci editionem retinuerit, hinc a multis bibliographis cum ferrarienſi confuſa eſt. Sed manifeſtum inter utramque diſcrimen intercedit. Ferrarienſis enim charactere gothico exarata eſt, amſtelodamenſis rotundo, illa in-4, haec in-12. Cetera conveniunt. In fronte dicitur in utroque exemplari *Empreſſo en Ferrara en caſa de Abraham Aben Uſque 5313 da Criaçam 27 de Setembro*. Sequitur epiſtola auctoris nuncupatoria eidem matronae Graciae Naſci, cui judaica etiam Bibliorum exemplaria Abrahamus dicavit. In prologo ſe in luſitanorum judaeorum gratiam lingua potius luſitanica, quam hiſpanica, ut nonnulli volebant, librum hunc compoſuiſſe conſcribit auctor, & edidiſſe. *Sendo*, inquit is, *o meu principal yntento falar com Portugheſes e repreſentando a memoria deſte noſſo deſterro buscarlhe por muitos meos e longe*

e

rrodeo, *algun alivio aos trabalhos que nelle passamos*, *desconveniente era fugir da lingua que mamey*, *e buscar outra prestada pera falar aos meus naturais*. In hoc libro non solum agitur de vindictis, quas Deus sumpturus est juxta praejudicatam auctoris mentem de gentibus omnibus, ac praesertim de edomaeis, seu christianis, sed & multa contra nos, contra beatum Vincentium Ferrerium, praesertim vero contra statutam in Hispania, ac Lusitania inquisitionem evomuntur. Mirum itaque non est, si in Indice expurgatorio Antonii a Soto major pag. 903 liber hic, quacumque lingua exaratus, ac potissimum ferrariensis nostra editio prohibeatur. Illud vehementer miror Ferrariae a judaeis editum eum fuisse, etiam expresso editionis loco, sed nulla, ut videtur, obtenta christianorum censorum facultate. Auctorem summopere commendat Immanuel Aboab in sua Nomologia pag. 272, ut virum *dotado de buenas Letras humanas*, *y versado en las historias*, sed insigniter etiam eum in chronologico facto, seu in definiendo anno obitus Josephi Levitae hallucinatum redarguit. In eo tamen corrigendus & Aboabus ipse, quod Samuelem nostrum pag. 296 cum Abrahamo confuderit. Summam libri raritatem testantur Wolfius cit. loco p. 1072, & Vogtius Catal. hist. crit. lib. rar. p. 717,

qui tamen de ſola, ut diximus, amſtelodamenſi editione ſub ementito Ferrariae nomine recuſa loqui videntur, non de ferrarienſi gothica, quae eſt multo rarior. Amſtelodamenſis etiam, non vera ferrarienſis eſſe videtur, quae notatur in Catal. librorum Couvay Pariſiis edito anno 1755.

MDLIV.

6.° *Vyſion delectable dela Philoſophia*, in-8 *Ferrariae per Abrah. Uſque an. 1554.*

Integer libri titulus eſt: *Vyſyon delectable dela Philoſophia y artes liberales ado por muy ſotil artificio ſe declaran altos ſecretos, y per fin las XXIV Coplas de don George Maurique*, ex quo intelligitur praeter viſionem delectabilem comprehendi quoque poeticum aliud opuſculum Georgii Maurique. Typis gothicis, ut cetera, exaratum eſt opus hoc, quod vidi apud judaeos liburnenſes, conſtatque foliis 171, non numerato indice, & Maurique Poemate. Sub initium & finem typographi ſtemma conſpicitur, ſub finem vero haec epygraphe: *Acaboſe la preſente obra en Ferrara a 15 de Março 1554.*

MDLV.

7.° *Orden de Oraciones* in-12 *Ferrariae apud Abr. Uſque anno 5315 min. judaeor. ſupput.*

Hujus editionis mentio fit apud Wolfium Biblioth. heb. T. III p. 1201, qui monet eam complecti folia 182, & sub finem dici absolutam die XII septembris, ac pleniorem hunc titulum efferre; *Orden de Oraciones de mes arreo sin boltar de una a otra parte, y la Orden de Hanucà, Purim ec.*

CAPUT VI.

DE BIBLIIS HISPANICIS FERRARIENSIBUS ANNI 1553.

Ut maximam apud bibliographos celebritatem nacta est ferrariensis haec hispanica Bibliorum editio, ita multos etiam descriptores obtinuit, inter quos potissimum eminent Simonius, Le-Longius, Wolfius, de Bure, David Clement, atque omnium nuperrimus Petrus Antonius Crevenna. Fusiorem nos hic, atque accuratiorem insignis hujus editionis descriptionem suppeditaturi, a titulo ipso incipimus, qui sic se habet. *Biblia en lengua española traduzida palabra por palabra dela verdad hebrayca por muy excellentes letrados vista y examinada por el Officio dela Inquisicion. Con privilegio del Yllustrissimo señor Duque de Ferrara.* Ligneus in fronte ornatus conspicitur navem tempestate

ſtractam repraeſentans, qua judaei hiſpani ac luſitani horum bibliorum auctores, & editores miſeros forte exilii, ac deportationis ſuae caſus exprimere voluerunt. Ex adverſa pagina nuncupatio operis occurrit, quae pro exemplarium diverſitate diverſa eſt. Duplex enim extat, ut a bibliographis animadverſum eſt, exemplarium genus. Nonnulla epiſtolam in fronte gerunt eſtenſis Ducis nomini inſcriptam a Duarte Pinel, & Hieronymo de Vargas. Alia eam exhibent inſcriptam nomini illuſtris judaeae Graciae Naſſi a Jom Tov Athias, & Abrahamo Uſque. Priora exempla a chriſtianis chriſtiano Principi dicata, & in chriſtianorum etiam gratiam & uſum impreſſa, chriſtianam aeram ſub finem exhibent, & hanc epygraphem: *A gloria y loor de nueſtro señor ſe acabo la preſente Biblia en lengua eſpañola traduzida dela verdadera Origen hebrayca por muy excellentes letrados, con ynduſtria y deligencia de Duarte Pinel Portugues: eſtampada en Ferrara a coſta y deſpeſa de Jeronimo de Vargas eſpañol: en primero de Março de 1553.* Poſterioris vero generis exempla judaeorum matronae oblata, eorumque uſibus deſtinata, judaica etiam aera, & epygraphe inſigniuntur, qua abſolutum dicitur opus *con induſtria y deligencia de Abraam Uſque Portugues, eſtampada en Ferrara a coſta*

y despesa de Jom Tob Athias hijo de Levi Athias español en 14 de Adar de 5313. Ita pro exemplarium diversitate christiana, vel judaica epygraphe christianae vel judaicae nuncupationi congruit; sed typographorum oscitantia, vel quodam etiam casu ac necessitate factum est, ut altera cum altera interdum confunderetur, & christianae nuncupationi judaica epygraphe, vel contra subjiceretur. Atque hujusmodi est luculentum exemplar, quod servatur in selectissima hac nostra regia Bibliotheca.

Pergratam nos rem eruditis facturos arbitramur, si utramque epistolam dedicationis, quae potissimum exemplarium discrimen constituit, integram hic afferamus, praesertim vero quum nullus hucusque bibliographorum eas attulerit. *Al yllustrissimo y excelentissimo Señor el Señor Don Hercole da Este el segundo; quarto Duque de Ferrara.* = *Aun que muchas vezes se ha visto (Serenissimo Principe) que toda obra traduzida pierde la gravedad y gracia que en su original tenia y que lo mismo puede ser en esta nuestra traducion: quesimos todavia tomar este trabajo tan ageno de nuestras fuerças viendo que la Biblia se halla en todas las lenguas y que solamente falta enla española siendo tan copiosa y usada en la mayor parte dela Europa, y en algunas provincias fuera della. Y aun que la*

Obra en si es soberana y divina no por esso caresce deste recelo: a cuya causa fue siempre nuestro motivo sacarla a luz cubierta del favor de Vuestra Excelencia pues ael como a tan soberano Principe es devido mamparar y favorecer todos aquellos que su subsidio y favor yuieren menester. Verdad sea que la Biblia es en quantitad (typographicum mendum pro *qualidad*) *tamaña que passa todas las otras obras que hasta oy se han visto: mas tan pequeña en quantitad que si fuera sola meresciera nuestro atrevimiento grave reprehension. Pero como alos magnanimos Principes con todo se puede servir regulando los servicios por la voluntad de quien los haze: creemos que Vuestra Excelencia aceptara este pequeño servicio con benigno animo y mirara no tanto nuestra loable empressa como la yntencion y voluntad que a su servicio siempre queda offrescida y obligada; de baxo de cuyo sublime favor navegaremos seguros por el tempestuoso mar que las detractoras lenguas pueden levantar; allende que ella se ymprimio por mandado y consentimiento de Vuestra Excelencia siendo juntamente vista y examinada por sus letrados y ynquisidor tan complidamente, que en lo venidero por todas estas razones se adquistara muy loable gloria. Nuestro Señor su yllustrissima persona guarde y conserve muy largos años: y prospere y augmente su fe-*

licissimo estado como dessea = Criados de Vuestra Excelencia Jeronimo de Vargas, y Duarte Pinel.

Brevior est altera judaicorum exemplarium, quae Prologi titulo insignitur. *Prologo ala muy magnifica Señora Doña Gratia Naci = No parescia razon (muy magnifica Señora) que aviendose de ymprimir la Biblia en nuestra lengua española (traduzida del hebreo palabra por palabra obra tan rara y hasta nuestros tiempos nunca vista) fuesse a parar en personas de cuyo favor no se pudiesse valer sino a alguna tan noble y magnanima que a su nobleza acrecentasse ornamiento. Por la qual causa la quesimos dirigir a vuestra merced como a persona que sus meritos entre todos los nuestros siempre tuvieron el mas sublime lugar. Assi por sus grandezas lo merescer como porque la propria naturaleza y amor dela patria vos pone esta obligacion tan devida: vuestra merced la acepte con la voluntad que nos se la offrecemos, y la favoresca y desienda con el animo que siempre favorescio todos los que su ayuda hastas oy ympetraron. Y porque su nobleza naturalmente es acostumbrada a estos officios quedamos seguros de algun recelo que por la diversidad de juizios podriamos tener: pidiendo que su memoria no se olvide de nuestro desseo que tan ynclinado es a su servicio. Nuestro Señor por muy largos años guarde su persona y prof-*

para su magnifico estado. — *Servidores de Vuestra merced Yom Job Atias y Abraham Usque.* Gracia Naçi natione lusitana amplissima quidem fuit judaeorum matrona, nunquam tamen ferrariensis dux, eique reapse ferrariensis editio nuncupata est, non nova amstelodamensis. Hinc duplex Knochii error corrigendus est, qui loquens de editione 1631, ait eam dicatam fuisse duci ferrariensi Graciae Naçi. Porro etsi ferrariensis dux nobilis haec judaea non esset, eam tamen Naxi ducem fuisse eruo ex verbis Immanuelis Aboav, qui Nomologiae pag. 304 illustre hoc de ea testimonium habet: *Quasi en el mismo tiempo gozò nuestra nacion dela liberalidad de otra generosissima Matrona, que fue la muy ilustre señora Doña Gracia Nasi; de cuyas excelentes virtudes, y nobles hechos se podian escrivir libros de mucho exemplo. No quiso dar su ilustre y unica hija por muger a muy ricos condes, y marquezes, que de otras gentes sela pedian: diole el Señor por yerno a su mismo sobrino el ilustrissimo y digno de immortal fama señor Don Joseph Nasi, meritissimo Duque de Nacsia, corona honradissima delos hebreos portuguezes.* Haec Aboabus, qui eundem Josephum Naçi sub eodem ducis titulo etiam pag. 221 memoraverat.

In duplici hac nuncupatoria epistola & epygraphe potissimum exemplarium discrimen

ſuperius diximus ſitum eſſe, non omne. Nullane loca in iis pro varia judaeorum ac chriſtianorum religione & interpretatione immutata reperiuntur? Id a nonnullis quidem contendi animadvertit De Bure, ſed nullus hucuſque bibliographorum confirmavit, noſque hic ſeleĉtiſſimo, ac luculento exemplo graviſſimum utrorumque exemplarium diſcrimen demonſtrabimus. Illud autem petimus ex Iſaiae VII 14, ubi celeberrimum extat oraculum de Meſſia ex Virgine naſcituro. Chriſtiana hujus editionis exemplaria chriſtianorum interpretationem vocabulo העלמה: Ahalmà tribuunt, vertuntque *He la Virgen concibien*. Contra judaica exemplaria judaeorum expoſitionem ſecuta, qui vocabulum illud de puella interpretantur, legunt *He la moça concibien*, aſſumpto vocabulo, quod ſolius aetatis nomen eſt, & juxta hiſpanos lexicographos idem valet ac *Joven*. Judaica exemplaria ſequuntur novae omnes editiones amſtelodamenſes, idque in verſionibus etiam judaeo-teutonicis factum eſſe patet ex Uffenbachii ad Majum epiſtola, in qua Biblia judaeo-teutonica anno 1669 Amſtelodami edita accuſat Uffenbachius, quod mala fide vocabulum illud vertaht *Junge-Frau*. Ex tribus meis exemplaribus duo chriſtianam hic interpretationem ſequuntur, unum judaicam. Sed ex prioribus illis alterum, quod in judaeo-

rum manus devenit, hanc ad marginem ms. notam judaei hiſpani exhibet, qua Virginis interpretationem maximum errorem eſſe adſeritur, & non ſolum Kimchii auctoritas, ſed & Proverbiorum locus opponitur, in quo hoc idem vocabulum (etiam in chriſtianorum exemplaribus) puellae nomine vertitur. *Grande yerro; a de dezir* la Moça, *como dize en Proverbios* 30: Carrera de Varon en Moça, *y mira al Rab Quanhy* ז״ל *en Sores* צרלם. Quod idem judaeus hic anonymus hujus exemplaris poſſeſſor iterum adnotavit ad illum Prov. locum, verti videlicet in eo hiſpanice vocabulum illud puellam, maxima autem hallucinatione ac mendo Iſaiae VII. verſum fuiſſe Virginem. *A qui ladino* moça: *Yerro Iſaia y ladino* virgen, *y es gran yerro*. Ita ſane ex praejudicata mente recentiores judaeorum interpretes ſentiunt, & exponunt, Aquilam, Symachum, Theodotionem ſecuti, qui omnium primi puellae interpretationem videntur invexiſſe. Non aliter vertit Lexicon biblicum hebraeo-hiſpanicum, cui titulus *Cheſek Scelomò*, etiam ex editione veneta (*a*). Non aliter Lexicon alterum bibli-

(a) *Extat apud me utraque hujus libri, qui hiſpanicae bibliorum Verſionis locum obtinet, editio Theſſalonicenſis, ac Veneta utraque ex bibliographorum ſententia rariſſima.*

cum ms. hebraeo-gallicum, quod apud me extat, Táleabutgi anno 1279 conſcriptum. Sed in hac re a vetuſtiorum, ac doctiorum ſuorum interpretum fide eos deſciviſſe fidem faciunt LXX, qui ſacros libros ex hebraeo in graecum ſermonem transferentes, verbum Ahalmà Παρθένος, ſeu Virginis ſignificatione reddiderunt. Illud tamen animadvertendum aliud etiam tum chriſtianorum, tum judaicorum noſtrae editionis exemplarium genus extare, quod ad devitandam chriſtianorum, ac judaeorum offenſionem neutrum legit, nullaque hic interpretatione adhibita primigenium ipſum Iſaiae verbum ALMA majuſculis ac gothicis litteris exhibet. Quinque hujuſce generis exemplaria mihi comperta ſunt, quorum alterum Venetiis extat in ſelecta Bibliotheca cl. abbatis Canonici, qui humaniſſime mihi illius notitiam ſuppeditavit; alterum in Eſtenſi a doctiſſimo Tyraboſchio benevole mecum communicatum. Tertium Venetiis item poſſidet eruditus vir Theophilus Fredericus Kiinhans. Quartum Amſtelodami inſignis noſtrae hujus aetatis bibliographus Petrus Antonius Crevenna, alterum videlicet e duobus, quae poſſidet, pagina 23 editi ejus Indicis commemoratum. Quintum paucis ab hinc diebus Mantuae perluſtravi apud ſpectatiſſimum Jacobum Saraval primarium mantuanae judaeo-

rum synagogae praefectum. Priora quatuor ad usum christianorum sunt; postremum ex judaicorum genere. At vero collatis illustrioribus aliis prophetiis, in quibus judaei ac christiani diffident, nullum aliud reperio exemplarium discrimen, quod maximo argumento est in unico hoc Isaiae loco utraque exempla diferre, quem Inquisitores ipsos correxisse verosimile est, quum ab ipsis examinata, atque approbata fuerit haec bibliorum Versio, ut constat tum ex epistola nuncupatoria, tum ex titulo ipso editionis. In ceteris prophetiis ac locis semper judaica in utroque exemplarium genere interpretatio, non christiana servata est, ut patet ex Psalmo XXI, praesertim vero ex celeberrimo Messiae oraculo Isaiae IX, ut inferius ex Cassiodoro Reyna observaturi sumus. Si porro in unico vel fere unico loco utraque exemplaria diffident, corrigendi sunt, qui apud de Bure in multis locis utrorumque versionem, ac significationem differre contendunt. Praecipue vero corrigendus de Bure ipse, qui ob haec diffidia duo haec exemplarium genera duarum editionum nomine appellitat. Unica namque est editio, in qua in christianorum gratiam epistola nuncupatoria, epygraphe, atque unicum in Isaia verbum immutata sunt. Cetera adamussim, ac perfectissime conveniunt.

Poſt nuncupatoriam epiſtolam ſequitur interpretis Praefatio, in qua de hujus verſionis neceſſitate, ratione, praeſtantia potiſſimum agitur. Illud vero animadverſione dignum quod ipſe in ea aſſerit, vel promittit, junctim editurum eſſe ſe, ut ſperat, etiam diverſas hebraicorum vocabulorum declarationes ſtellula deſignatas una cum libris apocryphis, qui in hebraeo canone non reperiuntur, ſi ſuum hoc opus intelliget eſſe acceptiſſimum. *Los quales (diverſos pareceres) eſpero juntamente ſalgan aluz con los Apocryphos que no ſon del Canone hebrayco, ſintiendo eſte mi trabajo ſer agradable.* Sed haec nec junctim, nec ſeorſim, quod dolendum eſt, prodierunt. Praefationem excipit Tabula ſex foliis conſtans, qua exhibentur 1. *Orden del Numero y Nombres delos libros dela Biblia ſegun los hebreos, y latinos,* 2. *Tabla y Sumario delos Capitulos dela Biblia,* 3. *Catalogo delos Juezes, y Reyes, y Prophetas, y Sacerdotes majores.* De Bure his addit *Tabla delas Haphtarot de todo el año y numero delos años en los quales ſe ayuntan eſtas Paraſcioth;* unde non octo, ſed decem diſtincta ſub Voluminis initium folia non numerata reperiri debere notat ad ejus perfectionem. Verum tabula haec Aphtararum vix mihi videtur poſſe locum habere ſub initium. Non ante priorem

Tabulam, quia id non patitur foliorum enumeratio, quae abſolute poſtulat eam anteponendam eſſe. Non poſt eam, quia ea abſolvitur certo foliorum numero, ac pagina dimidia, appoſito ab editoribus *Finis*, quo indicatur nihil ultra, vel nullam aliam tabulam appoſuiſſe. Ita etiam diſtributus eſt Titulus, nuncupatio, praefatio, ac tabula prior, ut ſolum integrum foliorum quaternionem conſtituant, nec eum excedant. Itaque eam potius ad calcem referendam eſſe arbitror, ut revera referunt nonnulla exemplaria, atque inter cetera unum ex meis, & alterum Bononiae a me collatum in Barnabitarum Bibliotheca ad templum divae Luciae; & ſi licet libere dicere quod ſentio, ea videtur potius abſoluta integra editione eidem addita in nonnullorum judaeorum gratiam, qui propheticarum etiam ſectionum indicem deſiderare videbantur. Etenim ſi in animo primum habuiſſent editores eam inſerere, id certe opportuno loco feciſſent, qui erat in ceterarum tabularum ordine. Additam autem dixi in gratiam judaeorum, atque idcirco, ut judaicis tantum exemplaribus adderetur. Cui conjecturae haec ſunt, quae fidem faciunt. 1.° Uſus perpetuus qui in ea ſit, hebraicorum vocabulorum ad deſignandas legis, vel prophetarum ſectiones, feſtivitates, & alia.

2.° Quod nulla unquam iisdem hebraicis vocabulis haphtaroth, parascioth &c., apposita sit in christianorum gratiam hispanica interpretatio, ut constantissime factum est in ceteris tabulis. 3.° Quod haec tabula, & quae ea continentur, propius judaeos, quam christianos, immo eos solos attingant. 4.° Quod in multis christianorum exemplaribus desideretur. Abest ea ab exemplari regio, & deerat quoque in luculentissimo & integerrimo meo exemplari ad usum christianorum, sed eam ex alio exemplari petitam sub finem apposui, ne exemplar a bibliographorum descriptione discrepare, eisque mutilum videretur. Itaque tabula haec adesse, & abesse potest a christianis exemplaribus absque ullo eorum defectu, immo ex mea sententia etiam a judaicis, si, ut diximus, nonnisi post integrae editionis absolutionem, atque in nonnullorum, ut videtur, judaeorum gratiam, qui eam ad commodiorem usum postulabant, edita est. Extant sane, & forte etiam plura, ex judaicis ipsis exemplis, in quibus haec tabula deest, quorum unum tantum hic afferemus, integerrimum, quod in Angelica servatur, humanissime mecum, quum Romae essem, a doctissimo Georgio illius praefecto communicatum.

Quod ſpectat ad integrum Bibliorum corpus, conſtat hoc, ut reliqua, typis gothicis, ac foliis numeratis 400 praeter titulum, praefationem, tabulam, & epygraphem, quae una cum editionis *Regiſtro* ad calcem exhibetur folio ſejuncto. Litterae, quae initium cujuſque libri ac ſectionis conſtituunt, ornatae ſunt, ligneaque tabula exſculptae. Librorum ordo, quem editio ſequitur, eſt judaico Canoni conſentaneus, quod in tabula animadvertitur, ubi integer producitur. Eum etiam fuſe perſequitur Clement Bibl. curioſa libror. rar. T. III p. 451, ne ex vario librorum ordine, qui in hiſce Bibliis ſervatur, bibliographi chriſtiani imperfecta exemplaria perperam conjiciant. Illud tamen animadvertendum eſt in hac editione diverſum locum quinque ſacris Voluminibus Cantici Canticorum, Ruth, Threnorum, Eccleſiaſtis, & Eſther aſſignari. Ea enim in aliis hebraeorum editionibus vel ſtatim poſt Pentateuchum, vel eo, quem inter agiographa occupant, ordine, vel quod in paucis factum, ſub eorum initium exhibentur. Contra hic ſub agiographorum finem poſita reperiuntur, itaut poſtremus omnium librorum ſit liber Eſther. In nonnullis, quae ſecutae ſunt, editionibus ordo hic, ut inferius animadvertemus, immutatus eſt, &

ſuus cuique volumini locus in agiographis reſtitutus. In editionis progreſſu inſignem ſolio 48 lacunam contigiſſe omnium primus animadvertit diligentiſſimus Crevenna. Typographorum enim oſcitantia omiſſus eſt finis Cap. VII, & initium VIII Levitici, ſeu integrae 21 lineae, & a poſtremis verbis verſiculi 35 Capitis VII, *en dia que ſixo allegar a ellos para ſervir a. A.*, digreſſio ſit ad poſtrema verba verſiculi 7 Cap. VIII *Dio ſobre el eſpaldar*. Ita fere integri decem verſiculi praetermiſſi ſunt. Defectum hunc in omnibus exemplaribus reperiri debere ſtatuit laudatus Crevenna, & ex bibliographorum ſilentio & exemplarium ipſorum ſtatu conjicit, typographos ipſos folium rurſus non impreſſiſſe, exemplaria, quae hanc lacunam non habeant, eſſe pauciſſima, ac fortaſſe unicum eſſe alterum, quod ipſe poſſidet, horum bibliorum exemplar, in quo nonniſi divitis alicujus poſſeſſoris opera & impenſis illam ſuppletam fuiſſe autumat. Sed minus recte haec a docto viro conjici conditio ipſa exemplarium evincit. Tantum enim abeſt, ut unicum ſit illud ſuum exemplar, quod lacunam hanc non exhibeat, ut bina apud me unum extent, in quibus eodem prorſus charactere, eodemque, ut ipſe narrat, modo ea ſuppleta conſpicitur. Non apparet etiam haec

lacuna in duobus aliis christianorum exemplis a me collatis, videlicet in superius commemorato bononiensium barnabitarum, atque in altero, quod beneficio doctissimi praesulis Foggi-nii Romae contuli in Bibliotheca Corsiniana. Porro dubitari nequit, quin praeter quinque haec alia adhuc reperiantur exempla absque illo defectu, quae in variis Europae bibliothecis, vel synagogis delitescunt. Jam vero quum ea iisdem omnino gothicis Usque typis denuo excusum folium illud referant, a quonam, nisi ab Usque ipso, hoc factum fuisse, & editionem suppletam arbitrabimur? Quid facilius ac verosimilius quam typographum ipsum post divenditam editionis suae portionem tam insignem lacunam animadvertisse, ac supplevisse, vel emptores Biblia excurrentes, illamque detegentes, jure suo ab eo petiisse, ut rursus impresso folio 48 suppleretur? Sed ut sero id animadversum est, emendari quidem potuit defectus in iis, quae supererant, exemplaribus, in plerisque vero, quae jam fuerant distracta, non potuit. Forte etiam typographi, ac possessores folium iteratis typis commissum suo loco inserere neglexerunt. Ad priorem classem referenda sunt, quae sunt absque lacuna; ad posteriorem, quae eam exhibent, vel in quibus possessorum tantum manu ad marginem

ſuppleta conſpicitur. Dignitas autem editionis, & recepta typographorum conſuetudo poſtulabat, ut integrum folium, dilatata tantiſper, ut factum eſt, paginae forma, atque immutata majori littera lignea, quae ſectionem inchoat, in minorem, denuo imprimeretur, non totidem breviores ſchedulae, quae editionem ipſam deformabant, facile autem amitti, nec commode inſeri poterant. Hinc perperam, meo quidem judicio, ex harum ſchedularum defectu, vel de Burii de illis ſilentio eruit commemoratus Crevenna exemplaria omnia hucuſque vel a de Bure, vel a ceteris bibliographis viſa lacunam illam conſtantiſſime habuiſſe. Manifeſtum eſt bibliographos qui hucuſque de hac lacuna ſiluerunt, vel eam non animadvertiſſe, quod facillimum eſt, vel exemplaribus uſos eſſe, quae eam non referebant. Decem illi verſiculi praetermiſſi, integri, ut extant in II ſuo exemplari, optimo conſilio a Crevenna ipſo recuſi ſunt in poſtremo, ſeu VI Indicis ſui volumine pag. 6, ut conſtaret, quid in exemplaribus deeſſet, & ut eorum lacuna ſuppleri facillime poſſet. Sed quum typographicis nonnullis illi mendis ſcateant, nec omnium manibus teratur crevennianus Index, hinc accuratius nos hic eos ex duplici noſtro exemplari ſubjiciemus. *Que encomendo. A. para dar a ellos*

en dia de ſu ungir a ellos de con hijos de Yſrael: fuero perpetuo a ſus generancios. Eſta la ley para alçacion para preſente, y para limpieza, y para culpa: y para complimientos y para ſacrificio delas pazes. Que encomendo. A. a Moſeh en monte de Sinay: en dia de ſu encomendar a hijos de Yſrael para fazer allegar ſus allegaciones para. A. en deſierto de Sinay.

CAP. 8. (*)

Y fablo. A. a Moſeh por dezir. Toma a Aharon y sus hijos con el y los paños, y olio dela uncion: y toro dela limpieza y dos los barvezes y canaſtillo delas cenceñas. Y toda la compaña congrega: a entrada de tienda del plazo. Y fizo Moſeh aſſi como encomendo. A. a el: y congregoſe la compaña a entrada de tienda del plazo. Y dixo Moſeh ala compaña: eſta la coſa que encomendo. A. por fazer. Y fizo allegar Moſeh a Aharon y ſus hijos: y lavo a ellos con aguas. Y Dio ſobre el la tunica y ciñio a el con cintero y fizo veſtir a el el manto: y dio ec.

Nonnulla nunc de hujus verſionis auctoribus, & ratione dicamus, in quo graviſſime etiam hallucinantur bibliographi. Fuerunt nonnulli,

(*) *Haec VIII. Capitis deſignatio in recuſo folio manifeſte expreſſa in Crevenniano Indice, ſeu in lacunae contextu in eo impreſſo omittitur.*

atque inter ceteros le Longius, qui arbitrati ſunt, editionem hanc non novam complecti ferrarienſium judaeorum verſionem, ſed vetuſtam, & quod ad Pentateuchum attinet, eandem prorſus, quam Conſtantinopolitani judaei anno 1547 ediderant. Quam abſona ſit eorum ſententia, conſtat ex praefatione ipſa editionis, in qua editor ſic loquitur: *Queriendo complazer a mi deſſeo que ſiempre fue amigo del univerſal provecho, hize traſladar la Biblia en nueſtro eſpañol*. Infra vero: *Aſſi procurée que eſta nueſtra Biblia por ſer en lengua Caſtellana, fueſſe mas llegada ala verdad hebrayca que ſer pudieſſe ..... haziendo ſeguir pero en todo lo poſible la traſladacion del Pagnino*, expreſſe ſubdens ſe doctos ob id viros in utraque lingua hebraea, ac latina aſſumpſiſſe, obſoletis hiſpanicis verbis uſum fuiſſe interpretem, non recentioribus, ſtellulis dubia variiſque ſignificatibus obnoxia verba indicaſſe, in varia denique, ac multiplici auctorum expoſitione veriorem ſe, textuique magis congruam ſelegiſſe. Quae omnia de interprete quidem dici poſſunt, de ſimplici deſcriptore, vel editore non poſſunt. Sed luculentius adhuc argumentum ex collatione ipſa petitur; quam commodiſſime hinc inde in ſelectis locis per me ipſum inſtituere potui, cum feliciſſimo eventu Conſtantinopolitanam etiam

editionem summae, ac fere extremae raritatis nuperrime acquisierim. Etenim etsi affinis altera alteri sit, in multis tamen, & saepe diffidere, patet vel ex ipso, quod unum hic sistimus, Genesis exordio.

FERRARIENSIS.

Gen. 1 2 *Y la tierra era vana.*
ibid. *Y espirito del Dio se movia.*
6 *Sea espandidura en medio delas aguas.*
9 *Apañiense las aguas.*
ibid. *Y aparesca la seca.*
12 *Y saco la tierra hermollo, yerva.*
14 *Sean luminarias.*
15 *Y sean por luminarias.*
21 *Y crio el Dio alos culebros.*

CONSTANTINOPOLITANA.

Gen. 1 2 *Y la tierrá era vagua.*
ibid. *Y viento de el Dio esmovienze.*
6 *Sea expandidura entre las aguas.*
9 *Sean apanyadas.*
ibid. *Y sea apparesido lo secho.*
12 *Y saco la tierra hermollo de yerva.*
14 *Sea luzes.*
15 *Y seran por luzerias.*
21 *Y crio el Dio alos Pescados.*

Plura non perſequemur. Nam vel ex hiſce manifeſtum eſt diverſos fuiſſe harum verſionum interpretes, qui non ſolum varia vocabula, ſed varias pro varia cujuſque opinione ſacrorum verborum ſignificationes ſequuti ſunt. Alter vocabulo רוח *ſpiritus*, alter vero *venti* ſignificatum tribuit. Alter vocem דשא in ſtatu abſoluto facit, vertitque *germen*, *herbam*, alter in ſtatu regiminis, vertitque *germen herbae*, excepto tamen verſ. 11, in quo utraque editio idem vocabulum vertit in ſtatu regiminis *hermollo de yerva*. Sed id contra ceterorum interpretum fidem factum eſt, atque amſtelodamenſibus editoribus diſplicuit, qui in ferrarienſi textu ab iis recuſo ſtatum abſolutum reſtituerunt. Ceterum editio ferrarienſis accuratior ubique eſt conſtantinopolitana, hebraicoque fonti, receptiſque doctiorum interpretum, ac rabbinorum expoſitionibus conformior, ut vel ex allatis duobus locis patet, in quibus vetuſtiores omnes ſacrorum librorum interpretes vocabulo רוח ſpiritus ſignificatiouem, alteri vero דשא ſtatum abſolutum attribuunt. Solos LXX excipio, qui poſteriorem dictionem in ſtatu regiminis & ipſi aſſumpſerunt, vertentes utrobique Βοτάνην χόρτου. In quo tamen conſentientem non habent graecam alteram, ſeu helleniſticam verſionem venetam ms., quam ſuperius laudavimus, ab ano-

nymo judaeo graeco ex hebraicis fontibus elaboratam, quae vertit: Χλοασάτω ἡ γῆ χλόην βοτάνην σπείρασαν σπέρμα, καρποῦ ποιοῦν καρπόν. Quod idem repetit verſ. 12, niſi quod vocabulum ξύλον verſ. 11 omiſſum recte suppleat. Cum ferrarienſi etiam congruit in interpretatione dictionis ורוח, vertens Καὶ πνεῦμα Θεοῦ ἐπτῶζο κατὰ προσώπου τοῦ ὕδατος. Hinc conſtantinopolitanam potius Verſionem antiquam illam Hiſpaniarum referre crediderim, praeſertim quum obſoletioribus illa vocabulis utatur. Quae enim in noſtra obſoleta occurrunt, partim judaeorum ipſorum barbariei, partim interpretis conſilio tribuenda ſunt, qui in praefatione teſtatur vetuſta ſe ſuorum phraſi, & idiomate uſum eſſe, ut aptius sacrarum dictionum vim & proprietatem exprimeret. Nonnulla etiam mutuatus is videtur ex antiquis ac receptis majorum interpretationibus. Hinc perperam ex ſtili antiquitate inter opera anonymorum, qui ante 1500 vixere, referendam eſſe arbitratus eſt Nicolaus Antonius Biblioth. hiſp. vet. parte II, pag. 260.

Non ita tamen haec dico, aut tueor, ut credam ferrarienſem interpretem ob oculos ſaltem non habuiſſe, aut ſecutum non fuiſſe antiquam aliquam hiſpanicam verſionem, quae longo uſu apud ſuos terebatur, quamque ex

Hiſpania ipſi attulerant. Nam idem interpres de nonnullis verbis adſcititiis loquens in hebraica littera non extantibus, ea adſcita aſſerit non a ſe, ſed *por los Sabios*, ac nullus dubito, quin ipſe pro nationis ſuae more, ſummaque tenacitate majorum ſuorum doctrinas, & interpretationes religioſiſſime ubique ſecutus ſit, adeoque & hiſpanas ipſas verſiones antiquitate, ſimplicitate, longo synagogarum uſu apud judaeos venerandas. Verſiones, inquam; varias enim, ac multas hiſpanos judaeos antiquitus habuiſſe veroſimile eſt, quae cum inter ſe in ſacrorum verborum interpretatione aliquando diſſiderent, dubia ipſa, ac diverſae ſignificationis vocabula accurate in textu diſtinxit ferrarienſis interpres, ceteras autem interpretationes ſeorſim illuſtrare & edere conſtituerat. Atque ex hoc forte, quod vetuſtis ſapientum ſuorum verſionibus mſs. religioſe is adhaeſerit, eaſque plerumque retinuerit, hinc Biblia haec in titulo *por muy excelentes letrados* verſa dicuntur. Niſi dicamus alios in ſui auxilium vel eundem interpretem, vel editores ipſos adſciviſſe. Nec enim aliter conciliari titulus cum praefatione poteſt, in qua unus tantum conſtantiſſime nominatur interpres. Pluribus, iiſque ferrarienſibus ſapientibus noſtram hanc verſionem tribuit Joſephus Athias, judaeus amſtelo-

damensis in Praefatione ad Biblia judaeo-teutonica anni 1677, qui tamen turpiter hallucinatur, dum ex nostrae editionis titulo male intellecto centum ferrariensis synagogae sapientes Biblia haec vertisse conscripsit. Ipse enim non *por muy*, sed *por meoth excelentes letrados* oscitanter videtur legisse, aut incertum doctorum hominum numerum ad certum eumque incredibilem arroganter transtulisse. Knochius, aliique duos tantum fuisse interpretes statuunt, videlicet Yom Tob Atiam, & Abrahamum Usque, qui opus ipsum ferrariensi suae nationis Matronae nuncuparunt. Alii vero, ut Simonius, le Longius, Bartoloccius, Advocatus, soli Abrahamo Usque adscribunt, cui tamen gloriam hanc vindicari non posse observat Wolfius Bibl. heb. T. 1. p. 31 seq., cum in epygraphe ipsa judaicorum exemplarium Biblia haec opera quidem & studio Usque Ferrariae excusa dicantur, sed per eruditissimos viros ex hebraeo hispanice translata. Si ergo epygraphi credendum est, typographus ille fuit, non auctor. Sed si quis urgeat hoc ipsum studium illum contulisse, quod vetustas schedas, ut Simonius vult (*a*), atque hispanorum judaeorum glossas quoad majorem Bibliorum par-

(a) Histoire critique du vieux Testam. *pag.* 311.

tem ipse collegerit, dispofuerit, adornarit, ego multum non repugnabo. Quare enim fieri non potuit, ut, collatis ipse studiis cum Samuele ejus, ut videtur, fratre, vel cognato, aliisque clarissimae illius synagogae rabbinis, ferrariensem hanc versionem ex antiquis majorum schedis digesserit, interim vero eam ad hispanos ipsos sapientes, a quibus illam veluti mutuaverat, & ex quorum scriptis profecerat, retulerit? Praesertim quum praeter christianos non desint ex judaeis ipsis, qui illi versionem hanc adjudicent. Unum hic afferam R. Abrahamum Sury, qui in Prologo ad Psalterium hispan. ferrariense a se Amstelodami recusum anno 5388 majoris judaeorum supputationis, christianorum 1628, quod in manibus meis est, illud vocat *traduzido con mucha excelencia por el señor Abraham Aben Usque de Ferrara*.

Quod vero ad rationem attinet, quam in hac elaboranda versione sequuti sunt interpretes, quicumque tandem ii fuerint, tanta ii religione usi sunt, ut ad superstitionem vergere plerisque criticis videatur, & inepte superstitiosam eam appellare non dubitet Arnoldus Bootius (*a*). Verbo enim ad verbum, ut in titulo ipso monuerunt, interpretati sunt, quod in-

(a) Animadv. sacr. ad Heb. text. in Indice auctor.

terpretandi genus summopere probat Huetius, sacrorum verborum literam, ordinem, syntaxim, primariam, seu grammaticam vim, anomalias ipsas interdum sectari. Ubi vero plures, ac variae significationes verbis inerant, stellulas, vel asteriscos, ut jam animadvertimus, ad dissensionem ipsam, variosque significatus indicandos religiose apposuerunt, non ut apocrypha Veteris Testamenti loca indigitarentur, ut minus recte notat de Bure, qui in illis omnem nostrae editionis praestantiam constituit. Tantum enim abest, ut interpretes singula illa loca asteriscis notata, quae & plurima sunt, & indubiae apud eos, ut apud nos, fidei & auctoritatis, apocrypha judicarint, ut varias ipsas illorum interpretationes indicare religioni duxerint. *Y es de notar*, inquiunt in Praefatione, *que en los lugares, donde se viere esta estrella* *, *es señal que ay duda en la declaracion del vocablo, y alguna vez diversos paraceres*. Itaque non dubia, incerta, apocrypha vocabula ipsa, ac loca, sed dubia, variisque expositionibus obnoxia eorum significatio designatur. Sed forte quod editores subdunt de vocibus circello notatis, ut intelligeretur eas extra hebraici textus litteram ad sententiae declarationem adscitas fuisse, cum stellulis confudit de Bure, & quod de paucissimis vocabu-

lis nullius momenti ad ſolam contexendam orationis ſeriem adhibitis monetur, ad integra ſcripturarum loca tranſtulit. En eorum verba: *Y donde hallaren eſtos medios circulos ( ) notaran que lo de dentro dellos es fuera dela letra hebrayca; mas empero es traydo por los ſabios para declaracion del ſenſu*. In qua quidem re non culpandum, ſed commendandum eſt eorum conſilium, ut & in eo, quod ſacroſanctum Dei nomen יהוה perpetuo diſtinxerint, & per majorem litteram .A. inter duo puncta conſtitutam, ſeu per Adonai expreſſerint, ut etiam in verſione noſcerent lectores, quando & ubi ineffabile illud nomen adhiberetur. Quod quantum referat, vel ex uno Jeremiae loco XXIII. 6 olim docui (*a*), in quo ad agnoſcendam Meſſiae divinitatem ex primigenio textu, & ex ineffabili quod in eo occurrit, Dei nomine urgentur judaei.

Patet hinc, arbitror, quam inique de noſtrae hujus verſionis praeſtantia & utilitate ſenſerit Simonius, qui in Diſquiſitionibus criticis de variis Bibliorum editionibus (*b*) non dubitavit haec de ea conſcribere. *Quid vero com-*

(a) De praecipuis cauſſis neglectae hebr. Litter. Diſciplin. *pag.* 123 *ſeq.*

(b) *Cap. XIV. Vid. etiam ej.* Hiſtoire critique du V. T. *pag.* 311.

modi ex illa translatione, quam vix judaei intelligunt, referre possunt christiani, non liquet, & ut olim Aquilae contentiosi interpretis condemnata est κακοζηλία, ita nemo sanus laudaverit ferrariensem istam versionem, quae nimis affectata est, dumque grammaticam unam respicit interpres, vix sensum exprimit. At aliter prorsus sentiunt hispani ipsi, quorum judicium nec iniquum, nec parvipendendum esse prudens quispiam adfirmabit, qui sciat, ex Augustini effato quae ex alienis linguis veniunt, ab earum linguarum hominibus esse quaerenda. Apud suos autem & maximi olim habita fuisse ferrariensia Biblia, & maximi adhuc haberi summa mihi fide testatus est Romae oculatissimus Hispaniarum Regis minister, doctissimusque eques Nicolaus Azarra, qui & ipse magnopere illa aestimat. Sane Nicolaus Antonius, celeberrimus ac gravissimus auctor hispanus, diserte scribit (a): *Ferrariensem interpretationem utilissimam esse iis, quibus hujusmodi versionibus uti licet, ad exquirendos litterales Bibliorum sensus, & conferendam cum antiqua illa praesentem Hispaniae nostrae linguam, atque ejus vocabula.* Concinit alterius interpretationis hispanicae auctor non obscurus Cassiodorus de Reyna,

(a) *Cit. loco* Bibliothecae Hisp. veteris.

qui rem ipsam expertus, de ferrarienſis verſionis praeſtantia, laudibus, utilitate ſumma inſigne hoc teſtimonium reliquit. *Dela vieja*, inquit is, *tranſlacion eſpañola del viejo teſtamento, impreſſa en Ferrara, nos avemos ayudado en ſemejantes neceſſidades mas que de ninguna otra que haſta aora ayamos viſto, no tanto por aver ella ſiempre acertado mas que las otras en coſas ſemejantes, quanto por darnos la matura, y primera ſignificacion delos vocablos hebreos, y las differencias delos tiempos delos verbos, como eſtan en el miſmo texto, en lo qual es obra digna de mayor eſtima (a juizio de todos los que la entienden) que quantas haſta aora ay: y por eſta tan ſingular ayuda, dela qual las otras tranſlaciones no han gozado, eſperamos que la nueſtra por lo menos no ſera inferior a ninguna de ellas*. Liquet ergo quod nam emolumentum ex ferrarienſi translatione referre poſſint chriſtiani, & ut ſuperſtitioſum illud, grammaticum, obſcurum interpretationis genus illuſtri huic chriſtiano interpreti utillimum fuit; utillimum quaelibet temporum diſcrimina, ut in textu extant, dignoſcere, utillimum naturalem ac primariam hebraicarum dictionum ſignificationem ex ea haurire, utillimum in unum veluti coactas habere illuſtriorum judaeorum, immo receptas ſynagogae ipſius ſacrorum vo-

luminum expositiones, utillimum dubiae ac multiplicis significationis vocabula diligenter distingui, utillimum Tetragrammaton nomen solius Dei proprium a ceteris divinis nominibus studiose ubique discerni, utillimum denique christianis illud discerni, ubi de Messia agitur, atque interpretationes foveri, quae contra synagogam ipsam christianorum doctrinae ac fidei luculentissime faveant. In his & utilis, & commendanda sane est ferrariensis versio, sed in eo redarguenda, quod judaicas interdum, atque a veritate absonas sequatur interpretationes. Quod laudatus De-Reyna potissimum redarguit Isaiae IX vers. 6, ubi Messiae solum postremum nomen *Sar Salom*, seu *Principis pacis*, cetera vero nomina Deo retulit, vertens: *Y llamo su nombre el Maravilloso, el Consegero, el Dio barragan, el Padre eterno, Sar Salom*. Etsi & in hoc summopere nobis proficuam atque utilem se prodat ferrariensis editio, ut intelligamus, in quo maxime a nobis judaei dissentiant. Non esse tamen ubique adeo grammaticam, ac superstitiosam, ut Simonius contendit, patet ex ipso eodem primo versiculo Psalmi 1, quem ille accusat ferrariensem interpretem vertisse *Bien aventurado el Varon*, quum ad grammaticae rigorem vertere potius debuisset *Bien aventurançâs de el*

Varon, ut reapſe vertunt nonnullae aliae hebraeorum editiones, atque ex his, quas poſſideo, rariſſima, ac bibliographis omnibus hucuſque incognita, theſſalonicenſis Pſalterii editio hebraeo-hiſpanica anni 344, Chriſti 1584, binae amſtelodamenſes, altera anni 5493, Chriſti 1733, altera vero hebraeo-hiſpanica ex nova R. Jacobi Jehudae verſione anni 5431, Chriſti 1671. Verum vocabulum אשרי pro adverbio ſaepe ſumi, & revera a ſexcentis interpretibus litteram ſectantibus citato loco ſumptum eſſe jampridem a philologis animadverſum eſt, conſtatque ex biblico R. Leonis mutinenſis Lexico hebraeo-italico, quod utramque interpretationem confirmat. Quamobrem rectiſſime, & hebraicae etiam litterae conſentanee vocabulum illud vertit ferrarienſis interpres.

Multoties Amſtelodami recuſa fuit noſtra haec editio ferrarienſis, ſcilicet anno 1611, 1630, 1646, 1661. Harum editionum primam paucis ab hinc annis amici votis conceſſi; ſecundam, & quartam poſſideo, ac ſecundae quidem bina exemplaria. Tertiam ex exemplari, quod habui prae manibus, & quod epigraphem ſub finem habebat anni 1630, non novam editionem puto, ſed unam eandemque cum ſecunda, in qua ſolus libri titulus immutatus eſt, & recentior aera praefixa. Binas

alias amſtelodamenſes hiſpanicorum bibliorum editiones recentiores apud liburnenſes judaeos olim vidi, quarum altera in octava forma ſub hujus ſeculi initium, altera vero ſplendidiſſima anno 5522, Chriſti 1762 in folio cum hebraico textu duabus columnis diſtincta Joſephi, Jacobi, & Abrahami Proopſii cura prodiit. Sed quum vix prae manibus illas habuerim, nullamque earumdem collationem inſtituerim, definire hic non audeo, num novam, an vero ferrarienſem verſionem referant. Variae etiam partes ferrarienſium Bibliorum ſeorſim recuſae ſunt, ex quibus quinque diverſas Pentateuchi editiones, omnes, amſtelodamenſes, poſſideo, ſcilicet anni 5387, 5403, 5415, 5484, 5493, Chriſti 1627, 1643, 1655, 1724, 1733. Nonnullae etiam ſolius Pſalterii apud me extant. Hae potiſſimum diſcrepantiae intercedunt inter primigeniam ferrarienſem editionem, & amſtelodamenſes, quod character gothicus in rotundum ſit immutatus, quod ſublata ſit operis dedicatio, quod aſteriſci vocabulis dubiae ſignificationis affixi omiſſi ſint, quod plurimas demum phraſes, ac verba obſoleta in alia politiora, atque uſitata novi editores mutaverint. Sed in editione 1611, quam in caſanatenſi Bibliotheca humaniſſime contulit eruditiſſimus vir, meique amiciſſimus Ama-

dutius, dedicationis Epiſtola retenta eſt, & nulla etiam in verbis mutatio facta videtur, ſi ejus epigraphi credimus, in qua dicitur *Reformada la impreſſion dela Biblia Ferrareſca ſin mudar letra de ſu Original*. In editione 1630 multa corrigi coeperunt, ac longe plura mutata, & emendata ſunt in editione 1661, quam R. Samuel de Caſſeres ad hebraicum textum recognovit, ut in ipſius praefatione fuſe enarratur. In nonnullis tamen locis a me collatis reperio hunc editorem non correxiſſe, ſed foedaſſe potius ferrarienſem contextum, minuſque accuratam in eum lectionem invexiſſe. Ita Gen. III 5 *Y ſeredes como angeles*, legunt editiones 1553, 1611, 1630, & quinque ſuperius commemoratae ſolius Pentateuchi. Editio anni 1661 male hic legit *como uno delos angeles*. Rurſus circelli, quibus adſcita verba clauduntur, in prioribus editionibus retenti ſunt, in poſtrema hac 1661 una cum declarationibus ipſis prorſus omiſſi. Priores editiones 1611, & 1630, eundem titulum cum ferrarienſi exhibent, acſi Ferrariae reapſe impreſſae eſſent, quod nonnullos bibliographos decepit. Sed ornatus & character diſcrepat; ſub finem vero diverſa aera ac locus editionis deſignatur.

Supereſt nunc, ut breviter etiam editionis noſtrae raritatem attingamus. Ferrarienſia Bi-

blia rarissima esse constituunt fere omnes bibliographi, inter caeteros vero Knochius in Bibliotheca biblica p. 162, Bibliotheca saraziana in-8 Hagae-comitum 1715 Parte I pag. 3, Bibliotheca menarsiana in-8 ibid. 1720 pag. 9, Vogt in Catalogo librorum rarissimorum pag. 113, Osmont in Dictionario typographico rar. libror. pag. 102, qui addit in contractu venditionis librorum Comitis Hoym vendita fuisse gallicis libellis 250, Clement in Bibliotheca curiosa libror. rar. T. III pag. 448, Bibliotheca libror. rarior. universalis in-8 Norimb. 1770, T. I pag. 106, De Bure in Bibliographia sua T. I pag. 95, atque omnium nuperrimus Crevenna Catal. collect. suor. libror. T. I p. 21. Summa tamen haec raritas non officit, quin varia in publicis ac privatis christianorum, ac judaeorum bibliothecis extent exempla, quorum nonnulla collata a me sunt & superius commemorata. His duo alia addenda sunt, quae nuperrime, & post impressas superiores plagulas doctissimi Bertae beneficio inspexi, & contuli in Bibliotheca regia taurinensi, alterum mutilum ad christianorum usum, quod Isaiae VII habet *He la Virgen*, alterum vero integrum & elegantissimum ad usum judaeorum, quod ibidem legit *He la moça*, & tabulam Aphtaroth sub finem exhibet. In utroque hoc exemplari con-

ſuetus Levitici defectus, ac lacuna folio 49 conſpicitur. Haec de celeberrima hac hiſpanica bibliorum editione, quibus hoc unum hic addam reperiri etiam exempla caerulea charta impreſſa, atque ejuſmodi eſſe bononienſe, olim jeſuitarum, modo barnabitarum in Bibliotheca ad templum divae Luciae, luculentum ſane ac pulcherrimum exemplar, in quo Levitici etiam lacuna, ut ſupra diximus, non reperitur.

CAPUT VII.

DE EDITIONIBUS HEBRAEO-FERRARIENSIBUS FALSIS AC SUPPOSITITIIS.

I.° *R. Aben Eſrae Com. in Pedach devarai cum com. Eliae Levitae* in-4 *Ferrariae anno* 267 *min. jud. supp., Chriſti* 1507.

Scabtaeus, qui in Sciftè jeſcenim hanc editionem refert, Piſaurum cum Ferraria confudit. Hoc enim anno prodiit illud opus grammaticum cum Levitae Scholiis apud Moſem aben Chaviv. Conſulatur Bartoloccius, ac Wolfius B. H. T. I pag. 159, qui Scabtaeo Bartoloccium anteponit, ac ferrarienſem editionem in dubium revocat. Sed ſui oblitus Wolfius T. II p. 1413 eam aperte confirmat, ac Scabtaei hallucinationem ſequitur. In eo etiam hallucinatur, quod primariam noſtram hanc editionem

putet, quam alia praecessit neapolitana anni 257, Christi 1497, ut in Appendice, & Supplementis, vel in nova editione Annalium hebraeo-typograph. animadvertemus, ubi etiam consuli poterunt, quae de pisaurensi editione dicturi sumus.

2.° *R. Abraham Peritzol Ighereth orechoth olam, seu Epistola itinerum mundi* in-8 *Ferrariae* 1525.

Editionem hanc memorant Buxtorfius, Plantavitius, Bartoloccius, Scabtaeus, Wagenseilius, Catalogus bibliothecae barberinae. Eam etiam pro genuina agnovit Grodeckius in Spicilegio librorum anonymorum pag. 6 editionis millianae, nisi quod in Ferrariae locum Veronam substituerit. Sed frustra eam quaeri, ac suppositiam esse jam monuit Wolfius Bibl. hebr. T. I p. 89 in notis, T. III pag. 55, & IV p. 767. Insignis illorum bibliographorum hallucinatio repetenda est ex titulo editionis venetae anni 347, Christi 1587, ut recte in litteris ad Wolfium datis animadvertit Conradus Ikenius. Etenim quum in eo opus hoc composuisse dicatur *vir virtutis, magnus operibus, R. Abraham Peritzol felicis mem. in urbe Ferrariae anno 285 minoris supputationis*, ad haec tantum attendentes illi auctores, quae majoribus litteris impressa sunt, ac negligentes quae minusculo charactere sequuntur, *impressum autem*

Venetiis in domo Johannis de Gara mense Tisri anno 347, annum & locum compositionis cum anno & loco editionis confuderunt, ac Ferrariae impressum librum arbitrati sunt eodem anno 1525, quo auctor eum absolvit. Sane ms. ego hoc opus possideo, ex cujus epigraphe eruitur scriptum illud fuisse die VI mensis Adar anno 286, Christi 1526, anno scilicet immediate sequenti, quod certo argumento est praecedente anno non fuisse impressum. Ms. alium celebris hujus auctoris Codicem possideo, ineditum, Wolfio ac bibliographis omnibus incognitum, & auctoris ipsius autographum. Sistit is commentarium in Ecclesiastem cum textu, sub cujus finem haec leguntur: *Hoc est, quod constitui mihi ego Abraham Peritzol exponere de libro Ecclesiastis, hic Ferrariae, & misi eum principi aestimatissimo ex semine sancto in monumentum, anno 285*, ipsissimo videlicet anno, quo Ighereth composuit. Exemplar hoc perrarum, & unicum, quod liberalitati debeo humanissimi doctoris Israëlis Ghedaliae Cazes, clarissimi ac docti apud mantuanos judaeos medici ac rabbini, illud idem exemplar esse videtur, quod Peritzolius propria manu descriptum ad judaeum illum principem misit. Auctoris autem manu descriptum esse non solum ex titulo, atque epigraphe colligitur, sed &

ex collatione characteris cum alio indubiae fidei autographo Codice, quem possideo, qui plura opuscula, & collectanea nonnulla inedita complectitur. Primum quod ordine occurrit, opusculum est Ruach chen, in cujus fronte haec noster adnotavit: *Mei ipsius est hic Ruach chen, minimi Abrahae Peritzol. Qui scribit, roboretur, & qui legit, damno non afficiatur, amen. Ego sum scriptor hujus Ruach chen, minimus Abraham Mardochaeus Peritzol (qui vivat & protrahat diu dies suos, amen) anno 288 (Christi 1528) sexti millenarii in urbe avenionensi in domo Meir Josephi Abrahami Peritzol viri virtutis*. Item constat ex alio Codice nuperrime acquisito, qui sub finem secundae sectionis inediti, rarissimi, ac bibliographis omnibus ignoti R. Nathanaëlis Caspi Commentarii in Cuzari instrumentum exhibet venditionis propria Peritzolii manu Ferrariae factum anno 1520. Ex epigraphe postremo allata eruitur auctorem nostrum statim post Ighereth compositionem Ferrariam deseruisse, ut Avenionem, patriam suam, peteret. Avenionensis enim is erat, non ferrariensis, quod manifeste liquet ex praefationibus tum Ighereth, tum Commentarii inediti in Ecclesiastem, in quibus se avenionensem appellat, sed Ferrariae peregrinantem. Id ex allata nota Ruach

chen confirmatur, in qua dicitur ille Avenione librum descripsisse, & suorum genus aperte nominatur. Corrigendus ergo Bartoloccius, qui ferrariensem, immo seriori aetate, atque anno tantum 1525 Ferrariae natum credidit, quo gradaevus factus binorum librorum auctor jam, ut vidimus, evaserat. De libri argumento, ac laudibus consulatur Wolfius Bib. heb. T. I p. 90, ubi doctorum etiam judicia de eo attulit. Nos hoc unum hic monebimus Hydianam editionem hebraeo-latinam ab Ugolino fuisse recusam T. VII Thesauri antiquitatum sacrarum, ac postremo in Miscellaneis ejusdem Hyde Oxonii editis anno 1767. Ceterum editionem hanc nostram rarissimam esse testantur bibliographi, inter ceteros Wolfius, & Hyde, qui in Praefatione ad novam suam editionem asserit venetam editionem se nec videre, nec nancisci potuisse, ac coactum idcirco fuisse ex mss. codicibus suam curare. *Hic liber*, inquit, *dicitur Venetiis impressus; quod si ita factum, hodie reperiri non potuit*.

3.° *R. Obadiae Sphorni Or Adonai* in-4 *Ferrariae 1567*.

Plantavitii, ac Bartoloccii fidei editio haec innititur, quam confirmat Le-Longius Bibl. sacr. pag. 591. Sed confuderunt hi auctores urbem venetam cum ferrariensi, & Commentarium

Sphorni, qui revera hoc eodem anno 1567 Venetiis prodiit, cum alio illius tituli R. Chaſdai Kreſckas Ferrariae edito, quem nos ſuperius attulimus, ut animadvertit etiam Wolſius Biblioth. heb. T. I pag. 939, & III pag. 867, qui & ipſe ferrarienſem editionem ſuppoſititiam putat, utut a Le-Longio confirmetur.

4.° *Uſque R. Samuel Conſolaçam as tribulaçoens de Yſraël* in-8 *Ferrar. char. rotundo an. maj. judaeorum ſuppus. 5313 Chriſti 1553.*

Extat, ut ſuperius monuimus, & in manibus meis etiam eſt, hujus libri editio rotundis litteris curata, quae hanc loci & anni deſignationem exhibet ex ferrarienſi editione mutuatam, ac retentam. Sed ea Amſtelodami, non Ferrariae prodiit, ac pro ementito illius titulus habendus eſt, in quo nonnulli bibliographi interdum hallucinati ſunt, qui illam recenſuerunt, acſi reapſe Ferrariae prodiiſſet. Ferrarienſis editio non rotundis, ſed gothicis, ut diximus, typis eſt exarata. Quod idem diſcrimen intercedit inter ferrarienſem hiſpanicam Bibliorum editionem, & novas amſtelodamenſes 1611, & 1630, quas facillimum eſt ob ferrarienſis titulum verbatim retentum cum ferrarienſi confundi ab iis, qui epigraphem non animadverterint ad calcem extantem, qua repetita, ſeu recuſa dicitur utraque illa amſtelodamenſis editio: *Y fue reformada.*

ADDENDA.

Pag. 7. Salomon Usque, de quo hic agimus, idem forte est, qui typographum Constantinopoli egit, variosque illic libros edidit. Nomen & aetas congruunt. Est apud me Liber Ruth cum comm. R. Salomonis Alkabetz ab eo editus in 4 Constantinopoli anno 5321, Christi 1561.

Pag. 23. Primariam diximus Bechinath olam editionem soncin. 1485. Antiquiorem deinceps deteximus, & consequuti sumus, Mantuae ab uxore Abrahami Conathi elaboratam, de qua multa in novis nostris Annalibus hebraeo-typographicis dicemus.

Pag. 54. Ruth III 9 octodecim Mss. meos Codices protuli, qui plur. legunt כנפיך *alas tuas*. His addendi ex nuper a me acquisitis septem alii in Mss. meorum Indice designati sub num. 379, 380, 384, 405, 407, 412, 414.

Pag. 57. Triginta duos ex meis Codicibus produxi, qui 1 Reg. 1 18 pro altero ועתה *Et nunc*, legunt ואתה *Et tu* meliori sensu. Accedunt jam alii quatuor nuperrimae acquisitionis, videlicet Cod. 380, 384, 413, 417. Lectionem hanc optimam confirmari animadverti

auctoritate quatuor ex antiquissimis meis editionibus, cum quibus consentit perrara Pent. neapolitani ann. 1491 editio, omnibus hucusque bibliographis ignota, & paucis abhinc mensibus Romae a cl. Pochio, qui humanissime mecum nonnullas varias ejus lectiones communicavit, detecta & acquisita.

Pag. 59. Praeter Codices meos 22, qui Jerem. XVII, 1 pro מזבחותיכם *ararum vestrarum*, legunt מזבחותיהם *ararum eorum*, lectionem hanc fovent sex alii ex commemoratis Codicibus, qui post superiorum plagularum impressionem in manus meas venerunt, scilicet 380, 384, 409, 411, 413, 417.

Pag. 60. Triginta sex meis Codicibus, qui Oseae XIII, 2 pro בתבונם *in intelligentia sua*, habent כתבונם *secundum intelligentiam suam*, quinque nunc alios addo superius memoratos 380, 384, 411, 413, 417. Ita etiam legit commem. Pent. neapol. ann. 1491 a concinatibus editus.

SERIES EDITIONUM HEBRAEO-FERRARIENSIUM, QUAE IN HOC OPUSCULO AFFERUNTUR AC ILLUSTRANTUR.

Quae asterisco * notantur, in auctoris Bibliotheca reperiuntur.

HEBRAICAE.

* 1 Rabbènu Ascer II Ordo arbàh turim, seu Jorè dehà Fol. anno 1476
* 2 R. Levi Gersonidis Commentar. in Jobum 4 minori ann. 1477
* 3 Abarbanelis Majenè ajescùah, seu Fontes salutis 4 ann. 1551
* 4 R. Jedajae Appennini Bechinath olam cum com. R. Mos. Aben Chaviv, & Josephi Franses 4 ann. 1552
* 5 R. Jehudae Alcophni Resuoth ghevija, seu Remedia corporis 8 ann. 1552

6 R. Hai Gaon Pidron chalomoth, seu De somniorum interpretatione 8 anno 1552

* 7 R. Meir Ilchoth scechità, seu Constitutiones mactationis 12 ann. 1552
* 8 Ejusdem Ilchoth arèah, seu Constitutiones pulmonis 12 ann. 1552

9 R. Simeon. Duran Com. in oscahoth lesuchoth 8 ann. 1553

* 10 R. Jos. ben Jabetz Maamar aachaduth, Sermo de unitate 4 ann. 1554
* 11 Ejusd. Jesod aemunà, seu Fundamentum fidei 4 ann. 1554

* 12 Ejusd. Or achaiim, seu Lux vitae 4 ann. 1554

13 Anon. Chibbur mahaffioth, seu var. historiarum Collectio 8 ann. 1554

14 R. Menach. ben Zerach Tzeda laderech seu Viaticum viae 4 ann. 1554

* 15 R. Ismaëlis Coen Liber Azicaron, seu Memorialis 4 anno 1555

* 16 Pentateuchus cum V meghilloth, & aphtaroth 4 ann. 1555

17 R. Chasdai Kreskàs Or Adonai, seu Lumen Domini 4 anno 1555

* 18 R. Treves Lib. Naphtulim, seu Luctationum 4 ann. 1556

19 Nachmanidis Sàhar aghemul, seu Porta retributionis 4 ann. 1556

20 R. Scem Tov Liber Emunoth, seu Fidei 4 ann. 1556

21 R. Josephi ben Scem Tov Chevod Elohim, seu Gloria Dei 4 ann. 1556

* 22 R. Jacob fil. Joab Eliae fanensis Sciltè agghibborim, seu Clypei fortium 12 ann. 1556

23 R. Biniam. Tudelensis Masahoth, seu Itinera 8 ann. 1556

24 R. Abrah. ben Elimelech Likutè Sceccachà, seu Manipuli oblivionis 4 ann. 1556

25 R. Jonae Gerundensis Liber Issur veethar, seu Vetiti & liciti, 4 ann. 1555

26 R. Abr. Chajon Amaroth theoroth, seu Eloquia munda, 4 ann. 1556

27 R. Nissim bar Jacob Chibbur meajescuah, seu Opus de salvatione, 12 ann. 1557

28 R. Abr. Chasdai Ben amelech veanazir, seu Filius regis & nazaraeus, 8 ann. 1557

29 R. Mosis Alaskar Ascagoth, seu Animadversiones, 4 ann. 1557

30 R. Peretz Maharecher Ahelauth, seu Ordinatio Divinitatis, 4 ann. 1558

31 Anon. Mesaresch chataim, seu Exponens peccata ann. 1591

* 32 Anon. Siddur mibberachà, seu Ordo benedictionis, 12 ann. 1693

HISPANICAE AC LUSITANAE.

1 Lybro de Oraciones de todo el anno, 8 ann. 1552

* 2 Biblia Española cum dedicatoria, atque epigraphe judaica, fol. ann. 5313. 1553

* 3 Biblia Española cum dedic. & epigraphe christiana, & ad christianorum usum, fol. ann. 1553

* 4 Orden de Ros hasanah y de Chippur, 12 ann. 1553

5 Los Psalmos de David, 12 anno 1553

6 Sam. Usque Consolaçam as tribulaçoens de Ysrael, 4 min. ann. 1553

7 Vision delectable dela Philosophia, 8 ann. 1554

8 Orden de oraciones, 12 anno 1555

FALSAE AC SUPPOSITITIAE.

1 R. Abrah. Peritzol Ighereth orechot olam, seu Epistola itinerum mundi, 8 ann. 1525

2 Ab. Esrae Com. in Pedach devarai, 4 ann. 1507

3 Sam. Usque Consolaçam as tribulaçoens de Ysrael, 8 litt. rotundis ann. 1553

FINIS.

